HOMO DEI

IN QVO,

DE PRÆCIPVIS CHRISTIANI HOMINIS VIRTVTIBVS,

Sermo eſt.

Auctore GODEFRIDO LVFFIO,
Presbytero Buſcoducenſi.

Domus Rom. Piar. Probat Scholar.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ROMÆ,
Typis ÆGIDII GHEZZI.
Superiorum permiſſu.
M. DC. LXVIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EMINENTISSIMO
AC REVERENDISSIMO PRINCIPI,
IACOBO
S.R.E. CARDINALI
ROSPIGLIOSIO
SANCTISSIMI D.N. PAPÆ CLEMENTIS IX. EX FRATRE GERMANO
NEPOTI.

ORBIS Chriſtiani gaudium quod ſapientiſſimi S.R.E. Principes à Spiritu Dei directi, in electione Eminentiſſimi & Reuerendiſſimi Do-

mini Iulij Cardinalis ROSPIGLIOSII in ſummum Pontificem, Fidelium expectationi attulerunt (EMINENTISSIME PRINCEPS) non ſine aliqua amaritudine Belgis obtigit, cum non obſcurè coniicerent, ſe quidem CLEMENTEM cum cæteris Romanis PRINCIPEM habituros, ſed qui iuſtè reuocaret Sedis Apoſtolicæ miniſtrum: vt dupliciter ſibi propinquus grauiſſimi oneris partem ſuſcipiat. Separari timet, qui amat, & cum virtus Tua etiam Belgis cauſam dederit amoris: patere quod cum dolore Te dimiſerint, quem Romani cum tanto deſiderio expectauerunt. Et quidem cum Belgij tranquillitati, armorum ſtrepitus immineret, cum patientia eos ſuſtinere decuit, Te Romam proficiſci. At dum priuatum regionis bonum, totius Reipublicæ Chriſtianæ vtilitati voluntariè dedicant, ac non excludendi à S. R. E. prouidentia, optima ſperant

ſperant, ecce duriſſimi aduerſæ valetudinis Tuæ nuncij; ita denuò eos perturbant, vt grauius ferrent, Pontifici Romano, cum incertitudine promiſſum Nepotem, quam certò ſibi ademptum Patronum. Placuit tandem Altiſſimo, vrbis gaudio, hoc addere ſolatium: vt Te per longa itinera cum febribus luctantem in proſpera valetudine, purpura decoratum conſpiciat. Cuius lætitiæ (rem gratam Belgis meis facturus) congratulabundus accedens, oblatione huius opuſculi; teſtatum id E. T. cupiebam; verùm cum ſtyli ruditas eruditionem Tuam pertimeſceret, ROSPIGLIOSIÆ GENTIS Benignitas diuulgata, tam animoſum me effecit: vt firmiter mihi perſuaderem non iniucundum fore E. T. quantulumcunque hoc virtutis encomium, cui ſine virtute nihil vnquam iucundum fuit. Suſcipe illud PRINCEPS, in gratitudinis

††† Bel-

Belgicæ argumentum & viue, diù ſed vale. *Romæ die* 19. *Ianuarij*. *anno M. D C. LXVIII.*

Obſequijs E. T.

Addictiſſimus
GODEFRIDVS LVFFIVS.

AD

Reu. Nobili ac Eximio Viro
D. D. GODEFRIDO LVFF
Vander Sloot Syluæducenſi,
Sacræ Theologiæ Doctori.

QVID Proauos Godefride tuos
Atauoſq; referrem?
Sub quorum meritis florida ſylua ſtetit.
Teſtis ſylua virûm, virtutumque inclyta nutrix
Totmodo nobilibus nobilitata tuis
Antiquum decus ipſa tuum monumenta tuorum
Marte vel ingenio, qui viguere refert.
Perſtringunt aciem, laudum monumenta tuarum
Et ſtupet elogijs mens hebetata tuis
Firmus in aduerſis animus, dum cedere iuſſit
Et Patria, & patrijs cenſibus, vrbe fides,
Iam toga, iam ciuile decus, iam curia patrum,
Dudum expectabat, iamque togandus eras.

Ceſſiſti

Ceſſiſti patria, ceſſiſti & honoribus amplis,
Inter honoratos annumerandus auos.
Macte animo Godefride, togæ ſucceſſit auitæ
Doctoralis honos, cenſibus alma fides.
Omnia ſuſtulerit, patriam patrioſq; penates
Perfida non potuit, tollere ſecta fidem.
Pro gladio eſt calamus, pro poſteritate ſacratus
Ordo, Sacerdotem gaudet habere ſuum.
Virtutum iam cura tua eſt dare ſemina mundo.
Mundanumque hominem, iungere mente Deo.
Hoc hominem diuinus homo tuus; hoc docet ille,
Mole quidem paruus nomine req; grauis.

Fr, Godefridus Schuermans Ord. Præmonſtratenſis, Canon B. Mariæ de Tungerlo.

Reuer. ac Nobili Viro Domino
D. GODEFRIDO LOEFF
Vander Sloot, Patritio
Buſcoducenſi.

NObilis ex ſylua Godefridus condidit vrbem
A titulo Auctoris quæ modo nomen habet.
Dux pius Heroum ductor Bullonius arcem
Expugnans Solymum quod monet, ipſe facit.
Ex ſylua Godefride ducis, tu ducis ad vrbem,
Soli homines, armis, quam rapuere Dei
Si tales profert ſyluas tua Belgica tellus:
Vt frutici frondis, floribus inſit odor:
Non mirum, rigidi quod pertulit agmina Martis,
Nam venatores præda benigna manet.

Hieronymus
Longarius.

INDEX
TITVLORVM.

DEus, pag. 1.
Creatura, pag. 2.
Angelus, pag. ibid.
Homo, pag. 3.
Homo Deus, pag. 4.
Homo Dei, pag 6.
Rarus Homo Dei, pag. 8.
Apparens Homo Dei, pag. 13.
Incertus Homo Dei, pag. 15.
Periclitans Homo Dei. p. 17.
Serius Homo Dei, p. 23.
Virtus Hominis Dei, p. 26.
Stimulus Virtutis, p. 29.
Vnio Virtutum, p. 35.
Fides, p. 35.
Spes, p. 41.
Charitas, p. 44.
Miſericordia, p. 54.
Beneficentia, p. 57.
Eleemoſyna, p. 58.
Correctio Fraterna, p. 62.
Prudentia, p. 64.
Iuſtitia, p. 65.
Religio, p. 75.

Oratio,

Oratio, p.78.
Pietas, p.82.
Obedientia; p.86.
Gratitudo, p.91.
Pœnitentia, p.99.
Liberalitas, p.103.
Fortitudo, p.108.
Magnanimitas, p.111.
Patientia, p.121.
Temperantia, p.125.
Manſuetudo, p.144.
Modeſtia, p.149.
Humilitas, p.156.
Harmonia Virtutum, p.169.
Virtus Statuum, p.177.
Virtutis Incrementum, p.195.
Exemplar Virtutum, p.202.
Tempus Virtutis, p.209.
Inimici Virtutis, p.213.
Tranquillitas hominis Dei p.220.
Præmium Virtutis. p.223.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs.
P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

M. Epiſc. Arimini Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal.
Apoſt. Magiſt.

Digitized by Google

HOMO DEI

IN QVO,

DE PRAECIPVIS CHRIStiani Hominis virtutibus, Sermo eſt.

DEVS.

DEVS ſeipſo beatus, antequam quicquam faceret ſempiternis fruebatnr delicijs: quem trinum ſolitudo non coarctabat neque vnum diſcordia diuidebat: qui milite non indigebat ad cuſtodiam, conſiliario ad negotia, medico ad corporis curam, aulico ad pompam. Non optabat anxius regni hæredem, nec vaſtoris imperij deſiderio cruciabatur. Non aderat qui eum poſſet opprimere periculo involuere, importunitate vexare, augeri vllo bono non poterat, neque vllius mali timore perturbari.

CREATVRA.

MEré ad demonſtrandam gloriæ ſuæ magnitudinem, ex immenſa naturæ ſuæ bonitate, nulla cogente neceſſitate; creauit Deus cœlum & terram, Angelos atque hominem, & quicquid cœli ambitu continetur. Angelos aſſiſtere iuſſit majeſtatis ſuæ trono, cœlorum motus dirigere, ac ſublunaria adminiſtrare. Hominem præfecit vniuerſæ creaturæ, quæ ſub cælo vel reptat in terra, vel natat in aquis, vel volitat in aere: in quo, veluti vniuerſi compendio, totum creationis opus expreſſit: particeps enim ſpiritualis, atq; corporalis ſubſtantiæ, ſimplicia & mixta cōtinet corporaquē cuſtodiunt Angeli, fouent cœli, nutrit corporalis creatura incolumem, ſanat languidum, mœſtum oblectat ignorantem docet, peccantem torquet.

ANGELVS.

ÆTerna Dei pax, per commiſſum in cœlo prælium, minimè turbata eſt, ſed bonitatis ac iuſtitiæ eius gloria innoteſcere cœpit. Lucifer pulchritudinis propriæ intuitu ſufficiens ſibi videbatur, vt ad beatitudinem pertingeret,

tingeret, ſeù per naturæ ſuæ virtutem non ex diuino auxilio illam à Deo acciperet, ſic volens infra Deum aſaſcendere, vt iniquo animo ferret, ſi Deus ad ima deſcenderet. Quos verò in natura princeps ſubditos habuit, hos praua inductione, defectionis ſocios fecit. Pugnauit cum dracone Michael, & præualuit: qui ſic coherentibus ſibi Angelis præfuit, vt mallet voluntariè Deo ſubditos. Dum cadit velut fulgur de cœlo Lucifer, impiæ rebellionis pœnas cum ſocijs daturus; Filij Dei iubilantes Creatori laudem dederunt, quia per ipſum ſunt, ornati diuino munere ſteterunt, vicerunt, ac fœlicitatis æternæ præmium conſequuntur.

HOMO.

QVi per ſeipſum beatus eſſe non potuit, & per Dei gratiam noluit Lucifer in æternum miſer vindictam parat; & cum nihil poſſet contra iuſtum temeritatis ſuæ vltorem, hominem aggreditur, quo ad ſui gloriam Deum vti nouerat. Inditum homini eſt ſciendi deſiderium, vitam conſeruandi in indiuiduo alimenti beneficio, naturæque ſpeciem mulieris conſortio. Quapropter idonea callido tentatori

mulier viſa eſt, quæ ſub vetiti pomi ſuauitate, & ſimilitudinis diuinæ ſpe fallaci, latens venenum viro propinaret. Mira res, vix quod affirmat ſtagirita, quiſquam philoſophorum, negare modò auſit: & morituros Deo affirmante homines, ſi de ligno vetito comederent: negat beſtia, credit mulier perſuadet viro, ac tacite mendacem, inuidum ſeu nugacem Deum aſſerunt ambo. Labentem qui conſiderat in cœlo Angelum, in Paradiſo voluptatis primum hominem, habet vnde timeat in valle lachrymarum, ſuperborum periculum.

HOMO DEVS.

PRæſcius futurorum Deus, ob rationalis creaturæ præuaricationem non intermiſit creationis opus: ſed melius iudicauit de malis bene facere, quam mala nulla eſſe permittere. In naturalibus eſca magnis piſcibus piſciculi ſunt, auiculas muſcis ſaginatas vorat accipiter, ac cerui mors vita leonis eſt. ij qui libertate vtuntur cautius ambulare ſolent, cum fragilitatem ſuam, peccando didicerunt. Petri negatio ſalutares pœnitentiæ lachrymas protulit, Thomæ incredulitas veluti Fidei noſtræ firmitas fuit. Perſecutor

in corpora fidelium ſæuijt, & quos viles reputabat martyrij gloria illuſtres reddidit. Defectio Luciferi, Angelis Dei victoriam dedit, & quod ſtupendum magis eſt primi parentis præuaricatio, Verbi Dei incarnationem meruit. Dum dormiret Adam innocens, vigilabat Deus miſerens, & pro peccaturo, percuſſum vnigenitum ſuum figurabat: nolens verſutia diabolicæ fraudis, atque inuidiæ veneno, in odium creatoris, actum in culpam perire, atque in vno capite, vuiuerſum genus humanum iugulantem homicidum, de præuaricatoris conſortio exultare. In principio totius mundi pulchitudinem in vno homine collocauit Deus: in temporum plenitudine omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ in vno abſcondit, cœleſtia terrenis vniens, diuina humanis, cum viſus eſt in terra Homo Deus, per quem liberandus erat homo reus. Qui ob proprium peccatum Angelis non pepercit, iuſtus iudex, nec Filio proprio qui portauit alienum, clementer parcens homini per longæuæ vitæ ſudores culpæ ſuæ maculam lauanti: an in iniquitate tranſactos breuis ætatis dies, poſt reuelatam inſtitiæ ſeueritatem non animaduertet?

HOMO

HOMO DEI.

MAgnitudini Dei totus mundus anguſta ditio eſt: maiorem noluit, ſine eo potuit, in paruo maximus. Qui creauit in cœlo Angelum, fecit in terra vermiculum, & qui nouit ſiderum numerum, capillos capitum hominum numerauit. qui mittit in terram hierarchiæ principem, mittit, & paſſerem, & quo iubente cadit de cœlo Lucifer, cadit de arbore folium. non vileſcit minima curantis dignitas, cui comparata vniuerſi pulchritudo non eſt niſi mera vanitas. Omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra; neque creatura in arbitrio libero conſtituta, creatoris ſuperat voluntatem, etiamſi contra eius faciat voluntatem. Qui peccando filius eſſe deſinit remanet ſeruus, & qui ſpernit hereditatem patris, ſentiet vindictam iudicis. Conſeruat Deus in damnatis naturam, vt puniat culpam, ac dominus vniuerſorum, purgat iuſtos, tolerat peccatores, exercet viatores, coronat victores. Sub rege terreno confidenter ambnlat filius, cum timore ſeruus: inuitus patitur catenas iniquus: damnato ad mortē ſe fœliciorem reputat, carceri perpetuo addictus. Sub Deo non

non ſine timore filius eſt, maximè qui patris ſui opus negligenter facit, pœnam timet peccator: damnatus numquam moriturus, vitam ipſa morte in fœliciorem ducit: dæmon tortoris officio fungitur; ſed in ſeipſo duriora ſuſtinet tormenta, ab hominum damnatione conſortium accipiens, non ſolatium. Omnes ad Deum pertinent; ſed peculariter Dei ſunt, qui libenter ſub ipſo ſunt, qui eo fruuntur, qui ei ſeruiunt. Deum Abraham ſe appellare dignatus eſt dominus, vt virtutem probaret, per quam Deo placuit Abraham. Apoſtolus Thimoteum ſuum hominem Dei vocat: vterque libenter ſub Deo fuit. Hominem Dei vocabo, qui (cum alterius eſſe nequeat) Deo ſubditur, libera voluntate, fide, imitatione. Is cui vilis obtigit ſub principe conditio, domini ſui gratiam parui pendit. Quid enim curat ruſticus, ſe diligi à principe, vt in ſudore vultus ſui pane ſuo veſcatur, & vectigal perſoluat? quid iuuat magnatis affabilitas venatorem ac ſtabularium: cum ille dies integros circumcurſitare nemora cogatur, hic inſomnes frequenter noctes ducere, ob ferociam beſtiarum? Sub Deo placato, quælibet conditio in pretio eſt: vilis omnis homo apud Deum qui non paret, etſi imperet.

RARVS

RARVS HOMO DEI.

IN corporibus hominum, natura in pluribus effectum ſuum conſequitur plures enim reperias corpore integros quam cœcos & claudos. In Angelis gratiæ efficacia arbitrij libertatem ſuperauit cum plures ſteterint, quam ceciderint. homini in iniquitate concepto, ſenſibilia arrident bona, & cum paucioribus nota, ſit virtutis pulchritudo, infinitus eſt ſtultorum numerus, qui fœlicitatem caducis ac fluxis mundi bonis metiuntur. Pulchrã ex primorum pœnitentia, ac filiorum innocentia virtute mediatoris, compoſitam harmoniam, impius Cain, vitam fratri, filium parentibus auferens turpiter diſſoluit. Ex filiorum Dei cum filiabus hominum connubijs orti gigantes, ſic terram iniquitate repleuerunt: vt iuſtè diluuij aquis tam ſeiuncti à ſanctorum conſortio homines delecti ſint, quam impijs iuncti. Homo Dei Noe ad generis humani ſeminariũ reſeruatur cuius filius Cham, nec ob id quod audiuerat primi parentis exilium, quodque viderat horrendum totius mundi diluuium à peccato abſtinuit, ſed ſicut Adam filium fratricidam ita parentis irriſorem, Noe mœſtus

10·

lerauit. Deindè ex toto hominum cœtu Abraham ſecernitur, ex cuius progenie ſecundum carnem, ſaluator mundi erat naſciturus. Loco diuiſum ab Abraham, Loth ob iurgium paſtorum cruciauit iniquitas hominum peſſimorum. Adfuit Deus per Angelos ſuos, liberans iuſtum, & conflagrata cũ nefarijs incolis regione, contra mandatum retro ſpicientem mulierem in ſalis ſtatuam conuertens. Filios Iacob, Abrahæ poſteros adeo inuidia aduſſit: vt gratiam fratri ſuo præſtare viderentur ſi ſeruatum venderent, non occiderent. Ex qua fratrum diſtenſione frumentum Deus naſci voluit, quo præmiſſus in Ægyptnm Ioſeph, patrem cũ filijs in annonæ penuria cibaret. Durius ab Ægyptijs tractatos Iſraelitas, per Moyſen Deus liberat, atque in prodigijs & portentis educti ex Ægypto populi, mores improbos in deſerto ſuſtinet, filioſque eorum, in terram lacte & melle manantem introducit: qui tamen immenſis Dei beneficijs aucti, nihilo meliores effecti ſunt, ſed annuntiantes de aduentu iuſti prophetas lapidauerunt, occiderunt, ac Dominum Prophetarum, latroni poſtpoſitum ad mortem crucis damnari poſtulerunt. An quorum corpora in profundo diluuij aquarum de merſa ſunt,
 ho-

horum animæ à culpa mundatæ, an quos ignis in Sodomis abſumpſit, hos à peccati macula purgauit? an conuerſa in ſtatuam ſalis mulier à Lethalis vulneris putredine ſeruata fuit? an Ægypti plagæ, Idolo latrarum percuſſio terræ hiatus, ſerpentum morſus corporibus peccatorum interitum attulerint, animabus verò Medelam? an potius ſuper hominum Dei caritate obſtupeſcens poſteritas hiſce Dei flagel. eruditur, vt veluti Lota purgata, atq; à peccati putredine præſeruata, per ſemitam virtutis alieno periculo cautior incedat. Et tamen ex ijs qui Deum terribilem ſcelerum vltorem crediderunt, atque hominem factum, magiſtrum benignum oculis conſpexerunt, reperus eſt diſcipulus auarus qui eum proderet, timidus vt negaret. Et qui miracula facientem libenter ſecuti erãt Apoſtoli, quæſitum ad necem, turpi ſuga elapſi, derelinquunt. Quod ſi in filijs Dei, Iſraelitis electis, diſcipulis dilectis, prauitas inuenta eſt: quæ fructus ſpes, ab agro ſterili infidelitatis, & vacuo dulcedine charitatis. In tanta luminis Euangelici claritate, adhuc impingit gentilis in lapidem, hebræus in literam, in ſenſum hæreticus, & quem confitetur fidelis, ſe noſſe Deum factis negat. Maxima orbis pars ingnorantiæ

rantiæ tenebris inuoluitur, & pertinax affirmare audet: quod ingnorat: infidelitati iungitur iniquitas, tollitur à Fide Charitas, hinc tanta hominum Dei raritas.eſt, qui lætatur cum male fecerit, qui ſocium in peccati conſortium trahit, atque importunus expugnat, qui abſque rubore ſua crimina iactat, alienis applaudit, & ſua vult eſſe quæ numquam commiſit. Parum eſſet ſi abundans opibus non diſtribueret ſuum egenis, dummodo non tolleret alienum, ac tenax ſubſtantiæ propriæ non retineret iniuſtè ablatam. Audet quis pro evulſo ſibi dente vitam percuſſoris adimere ac pro vnius hominis vita ablata totam homicidæ familiam exterminare.Et quia promiſcuè cum populo,viri principes ex carnis fragilitate potius quam voluntatis prauitate, delinquere ſolent: commiſeratione digni iam dudum iudicati ſunt, qui naturæ corruptæ vehementiſſimæ ad veneream delectationē ſuccumbunt inclinationi; à quibus infamiæ nota propulſatur,vtnonveluti homicidæ ſeu fures malè audiant: qui lucis diuinæ radio radio illuſtrati vitæ ſuæ calamitatem deteſtari ſolent, agnoſcentes ſe Deo peccaſſe, & non minus reos eſſe ijs in quos ſæpè iudex homo animaduertit; ſed ideo tolera-

tos fuiſſe quia ſoli puniri nequeunt, & cum obnoxia eidem crimini multitudine, reipublicæ non expedit. Difficilius reſipiſcunt, qui ex re aliena ditiores facti ſunt, & qui falſi criminis impoſitione, proximi famam læſerunt. Hos ignominiæ macula ex falſitate detecta, imminens, deterret: illos retardat egeſtatis metus, nobilitatis depreſſio, filiorum ſupplicatio. Creſcit difficultas, ſi diuitijs coniunctus ſit poteſtatis honor, ac principis dignitas; nam qui dominij dulcedinem guſtauit, vitam ſeruilem ſpernit, & quod diademate ſemel coronatum fuit caput, mavult viliſſimi hominis pedibus conculcari mortuum, quam nobiliſſimo parere viuum. Sagacem mundus admiratur mercatorem, qui nouit mercium ſuarum lucrum capitali ſummæ adæquare: in Chriſti verò fidelibus tantus reperitur ſpiritualium bonorum neglectus: vt cui decem millium talentorũ debitum, à domino ſuo gratis dimiſſum eſt, hic cum æternæ damnationis periculo, conſeruo ſuo, centum denarios non remittat, ſupplex petitor veniæ durus exactor vindictæ. Publica ſunt hæc, quibus ſcatet orbis crimina; quibus ſi addas ſub pelle ouina latitantes lupos, & ſub figura probitatis hypocritas, puſillus remanet hominum Dei

Dei grex. Quæ rara in mundo ſunt, ſollicitè quæri ſolent, & non ſine labore inueniri. Homine Dei totus mundus dignus non eſt; ſi ergo currit homo ad remotas orbis partes, vt raro inter metalla, auro diteſcat: cur non potius virtutem colat, quæ ſola, hominem Dei facit, cum quo omnia poſſidet? an diuitem dicemus qui in arca recludit aurum, & oon magis, qui portat in corde Deum?

APPARENS HOMO DEI.

TAnta virtutis potentia eſt, vt reuereantur & multum laudent illā etiam qui illa carent: & vitium ab his qui mali ſunt, ſubinde accuſatur, & carpitur. Malorum omnes nomina refugiunt, nec facile quis inueniat vitium aperta fronte in medium prodire, niſi mutuum prius à virtute vultum acceperit. Prudentem ſe dicet auarus, liberalem prodigus, fortem temerarius; & ſi mali ſpeciem quis effugere nequeat, ex minoris mali electione, qualemcumque bonitatem exhibere conabitur. Plerùmque is qui viuens à via virtutis aberrauit, amiſſam drachmam moriens amaris poſtulat à Deo pœnitentiæ lachrymis: & qui enſe cinctus,

in foro timorem pauidis incutièbat, religioſo habitu indutus virtutis æſtimationem prædicat è ſeretio. Hominibus facile ſatisfacimus: quibus blandus ſermo placet, ſubmiſſæ ſalutationis officium, & quod conſpicitur oculis, munus oblatum. Internum hominis ignorant affectum,& ſæpè non curant ſi oderit dum metuat, atque experiantur ſe humiliantis effectum. æqualis tyranno ac vero domino defertur honor: vtripue perſoluit ſubditus vectigal, ſincera mente, legitimi principis honorans maieſtatem, ingenioſè diſſimulans inuaſoris poteſtatem. Qui mundanæ auidus gloriæ ad ſonum tubæ, ſuccurrit egeno, etſi damnum ſibi inferat, alterius tamen miſeriam ſubleuat. Et ſi pecuniæ tenax, commiſerationem verborum lenitate demonſtrat exigui numiſmatis auxilio, par dabit inopi ſolatium. Gemmam quæ in lutoſam cecidit viam, colligunt homines, nec diſertum reſpuunt oratorem, qui quod verbo docet, non confirmat exemplo. Deus autem intuetur cor: ex quo, fidei lumine illuſtrato, oriri voluit, quidquid ad ſalutem hominum facit. Excipe paruulos (quos deuota parentum fides baptiſmatis aqua ſalutaris, atque immanis Herodis crudelitas, nihil de ſuo conferentes

ferentes in bonæ ſpei receptaculum tranſtulit) ab homine exigit Deus cordis rectitudinem, oris laudem atque operis boni fructum. Scientia ſine fide, apud Deum inſipientia eſt, mortua fides ſine obedientia, nec ſpecioſa laus in ore peccatoris. Parum eſt, ſi Deum dominum dixiſti, niſi domino obedieris in quem credidiſti. fruſtra hominibus placere ſtudet qui Deo ac ſibimetipſi diſplicet. Ob detectam in nũmo auri falſitatem, fabrum monetæ mortis reum vnuſquiſq; pronuntiat, ac numiſma principis imagine indigum, proijcit: quanto magis tectam virtutis pallio exe cretur iniquitatem, ac ſollicite talis eſſe ſtudeat, qualem ſe non eſſe erubeſcit.

INCERTVS HOMO DEI.

QVi ſpatioſam perditionis viam, ingreſſi ſunt, facilè deprehenderunt ſe odio dignos Nihil ſibi conſcij ignorãt, an iudicio Dei probentur. Franciſci lachrymas ex peccatorum dolore ac cœleſtis patriæ deſiderio profectas vox certitudinem veniæ ferens, tempeſtiuè abſterſit. Hilarionis anima poſt præſtitum Chriſto Domino ſeptuaginta prope annorum obſequium, ad huc exire

exire de corpore trepidat. Quomodò non paueat qui incertus de veniæ, ob præteritorum ſcelerum certitudinem, ac vitæ præſentis incuriam, in imminenti ſibi Dei iudicio fiduciæ ſecuritatē non ſperat? malos in hac vita patimur ſub ſpe quia mutari poſſunt. Bonos ſic diligimus, vt timeamus quia mutari poſſunt ne mali ſint ibi malitia eorū facit maritudinem animæ, hic ſollicitudo & timor, ne labatur qui bene ambulat. Ex Apoſtolorum collegio non ſurrecturus cecidit Iudas, e ſeptenario diaconorum numero Nicolaus, & conſpicui è poſteris à fide naufragauerunt viri, ſanctitate, doctrin ac proſapia illuſtres. Quod ſi deiecti ſunt homines veluti cedri ob virtutis celſitudinem, ac dignitatis faſtigium: quomodo ſtabit tentationum ventis agitata arundo? occulta hominum peccata, incertam reddunt vitæ eorum innocentiam; & ſi ſcienter deliquerint ac pœnitentiam egerint, de propitiato peccato ſine metu non ſunt. Qui de præteritis dolet peccatis, futura cauet, vocem domini libenter audit, mundana gaudia contemuit, ad æterna ſuſpirat ſperet ſe hominem Dei eſſe: tremat, quoniam Deus iudex eſt.

PERECLITANS HOMO DEI.

QVemadmodum coporis morbi, aut ex nimia vacuitate originem trahunt, aut ſuperflua repletione, ſic anima otio, aut nimia occupatione,& negotiorum ſollicitudine difluit. Perniti oſum homini eſt negotij ſerietatem in otio collocare, atque in negotio ſerio, ludicram otij nugacitatem. Innumeros reperias (quòs ab hominum Deì numero excludere nemo audeat, dum non conſtat eos contra Dei, ſeu Eccleſiæ præcepta, grauiter delinquere quibus) prolixum videtur ſacroſanctum miſſæ ſacrificium, quod ſacerdos quadrantis horę ſpatio non abſoluit, ac Verbi Dei præco moleſtus eſt, ſi abſque ſapientię humanæ floſculis, ſacri Euangelij grauitatem ad horam protrahat. Ijs verò noctes, ac dies breues videntur, vt ridiculos blateronum geſtus obſeruent, admirentur ingenium ſcurrulitatem rideant. quos chartarum alearumque luſus, ob ſolis æſtum ac cœli pluuiã domi coarctatos occupat &ſi per aeris ſereuit: tem licet, multum laborant, vt piſcis concludatur, vt fera per canum latratus e cauerna exeat per morſus irritata reſiſtat vitam ferro

ferro trans verberata fin'at: vt ſuaui cantu decepta auicula inter exeæca. tas videns, in retia decidat, ſclopeti globulis vulnerata aucupum primum oculos deinde palatum oblectet. Quibuſdam ex viuorum animalium anguſtia, delectatio orta, ſufficiens laboris præmium eſt: quos verò beſtiarum ferocia deterret, vt ſpectatores in nemore, venationis eſſe recuſent: horum tam intenſus eſt in rem culinatiam animus, vt conditus aromatibus, ſeu veru transfixus eſſe videatur, Eſt qui multum temporis inſumit, vt doctior euadat, negligit vt melior. quibuſdam tanta eſt negotiorum ſollicitudo, vt regni ſalutem procurare videantur, dum pro cucumeratio diſputant. Et licet damnanda non ſit in negotijs ſollicitudo, vitanda tamen eſt in ſollicitudine inqietudo. Fac quod potes, non adijcies ſtaturæ tuæ cubitum, nec ſtabit vigilantia tua domus, quam Dei cuſtodia non firmat. Comtemplatur mulier vultum ſuum in ſpeculo, poſt horam inde deceſſura, admiratur formæ elegantiam, ac ſi quem detegit defectum naturæ, corrigit arte. Si quæras cuius oculis placere ſtudeat, marito dicet coniux, virgo vni ex mille viris. Cur ergo nupta exit foras compta ſuperbè ac domum rediens, depo-
ſito

ſito faſtu aſſidet viro: fruſtra vano corporis ornatu, virgo placere viro ſatagit, qui fortunæ ampliora bona, familiæ ſplendorem ac ſuper omnia pietatem in futura coniuge quærit. ſub climate non adeò fugido, conſuetudo viget, vt remotis arbitris, vir, virginem ſuam atque vxorem quis fidat, neque de vllius virtute diffidat. Horret vterque obſcænitatis turpitudinem, admittit tamen friuoli & fermè chimærici ſermonis leuitatem. Laudabit aduena formam mulieris, amore ac fidelitate dignam, quam conſentiente domina eſtimare ſe poſſe petit atque omnibus alijs mulieribus præferre, cum tamen hoſpes non curet vxorem ſuam alienis oculis placere, neque aliam in amicō laudat fidelitatem quam quæ defertur Deo, mandatorum obſeruantia, principi pacis bellique tempore aſſiduo obſequio, amico in aduerſa fortuna conſtanti beneuolentia, cuilibet in negotijs iuſtitia, & æquitate. Dicet per viri mortem (quam ipſe non optat) poſſe ſe vitam adipiſci, ducendo viduam, quam ſuam viuente marito dicere non poteſt, ob Dei timorem, ac viri amicitiam. Quod ſi conditione diſpares ſunt, ſuſpirabit inferior ſe non decorari marchionis vel ducis titulo, & ſi impeditur à parenti-
bus

bus (vtpotè genere illuſtrior) ignobiliorem ducere, dolebit ſe ſui iuris non eſſe, non tamen deſperare ſe dicet futuras nuptias, cum parentum ætas diuturnam vitam non promittat: quibus modò non obedire perire eſt, cum ſubtrahere, ſubſidium pecuniarium poſsint, tam neceſſarium nobilitati vt ſplendeat, quam neceſſarius ſanguis corpori eſt, vt viuat. Conditionem alij ponunt, quæ ſolius Romani Pontificis authoritate adimpleri poteſt, vt ſcilicet clericus in ſacris Ordinibus conſtitutus, more græco ducat latinam. penetrat virgo ſapere de chimæra effectum, quæ tamen probat blandientis affectum, mira res, poſt horas ægrè diuiſos in tam ſancto ſe ſalutaſſe oſculo, vti lactentes ſolet, quælibet natio, infantes amplecti. ſunt qui curioſè indagant in foro, quid agatur in remotiſſimis terræ partibus: & ſi bellum ibi geritur, à qua dimicantium parte ſtet victoria, quæ belli motiua dimicantes habeant? quid permittat victori fœlix belli exitus, cum interim fures ædes illorum obſeruent, vt pretioſi indè aliquid auferant: & fortè minus curioſè de extraneis, coniuges, tranſeuntes conciues ſuos aſpiciunt oculis quibus nollent mariti, ſine armorum ſtrepitu non ferro victæ ſed prophani amoris

amoris iaculo vnde ſit viros ad ſuos ſępèreuerti,ac neſcirequid foris actũſit quidue domi. minuto quodam puluere, gratificandi ſibi inuicem homines, occaſionem nacti ſunt,qui offertur amicis, nec negatur ignotis, cui alteri rei vtilis ſit neſcitur, fatentur ferè omnes meritò carpivt malam conſuetudinem; ſequuntur tamen, ſpectabilium virorum confirmati exemplo. magna naſcitur ex pulueris comparatione & pixidum quibus ſeruatur, dicendi materia; ſed quæ in remotiori orbis parte, herba creuit,hæc in puluerem redacta, ſtrepitu quem excitat, altercantium calculos obtinet. nec deſunt qui vocis humanæ ſimilitudinem, admirantes in pſittaco, peregrinæ auis garulitatem libentius auſcultant, quam paternam admonitionem: quorum deliciæ ſunt confabulari cum canicula ſeu felicula quas nominibus à ſe impoſitis appellare ſolent, cum non dignentur ſeruum nomine proprio ſibi in baptiſmo ſub diui patrocinio aſſignatum, appellare. Sæpè per diem de multis interrogantem dominum, beſtiæ non capiunt, niſi dum menſa paratur, ad quam, veluti filij familias aſſident, nec minor eſt de illis cura; inuidet ſeruus quadrupedibus ſingularem domini gratiam, nec tam dolet, eſcam dari bru-

tis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tis qua homines veſci deceret: ſed dominum ſuum cum canicula ineptire in terra cui conuerſari licet cum Angelis in Cœlo: & qui feliculam fruſtra alloloquitur non reſponſuram, ſe à viro ſapiente intelligi &, ſi opus eſt, doceri. Quis credat, niſi experientia edoctus ita torpeſcere in otio nonnullos, vt nequidem ludicrum in eo negotium excogitare valeant? quid agendum inquiunt, pulſantes clepſydram, vt citò arena, deſcendat, cum non cogitent miſeri quod homo qui puluis eſt: paulatim in puluerem ſuum reuertitur, de temporis iactura rationem exactam Deo redditurus. qui ſic in otio inſordeſcit, vt nihil agat ad laudem creatoris, nihil ad corporis vel animæ vtilitatem, nihil ad reipublicæ bonum ſeu proximi ſui ſolatium dormiente minor eſt qui ideo quietem elegit, vt ſurgat alacrior ad laborem, & fruſtra terram occupat, in forma humana veluti beſtia præſenti gaudens pabulo nihil cogitansneque formidans de futuro. puerulis hominis ætas plena nugis eſt, ſenectus iterum puerulis: quam iuſtum eſt, vt qui in hunc mundum ad ludendum non venit, ſaltem partis vitę præcipuam, in ſerio ſalutis æternæ procurandæ negotio impendat. non definio an omnes iſti (quos homines Dei voco

co, cum ſe credant à graui crimine immunes) venialis peccati reatum ſemqer incurrant: ſed monitos velim ne otij pericula ament in quibus quam plurimi perierunt. mortem non ſolum formidare ſolent homines, ſed & morbos ex quibus frequenter naſcitur. declinat vnuſquiſque vulnus in præcordijs, atque inuitus ſuſtinet dolorem dentis. ſi paruum dominium haberemus, leuia dici poſſent hominum peccata; ſed cum iuſte ijs pœna infligitur quælibet huius vitæ ſuperans tormenta: cur qui mori timet, peccare non timet? abhorret homo Dei, dominum ſuum denuò cruci clauis affigere, & non erubeſcet illum aceto potare?

SERIVS HOMO DEI.

NAtura paruulum docuit, vt cadeus, præmiſſis manibus, nobilius ſaluet caput: qui doloris acerbitatem ſentit adultus, brachio non parcit, ſed ferro præcidendum chirurgo porrigit, ſi periculum præcordijs immanet. non ſemper mœſtitia vultus dolorem indicat capitis, cum cuiuſlibet membri dolor, hilaritatem compatientis excludat: fit ſæpè claudo pes manus, ac cœco oculus: nam ſibi inuicem membra in tribulatione præſtāt au-

auxilium,quæ in proſperitate commu-nicant ſolatium: ſub Chriſto capite, myſticum corpus Eccleſia militat in terra, triumphat in Cœlo: & ſicut triũphantia membra pro militantibus, Dei auxilium, implorant, ita cum triumphantibus militantia, purgantibus opem fertnt. Increpatur Saulus, veluti domini perſecutor, cum fideles vincire ſtatuiſſet: exprobratur damnatis quod Chriſtum non pauerintqui in mẽbris ſuis eſurijt: tanta domino de mẽbris ſuis cura eſt. non præſumit oculus de ſono ferre iudicium, neque auris de colore: aptè omnia ſuis locis diſpoſita ſunt, in humano corpore, in Republica in rerum vniuerſitate. Turpè pro tribunali ichtyopola ſedet, ac temerè viros principes iudicat qui cetarij fortunam numquam attigit. ex quo malo, qui per terræ aquæue elementa iu ſublime elata in aeris regione, tonitruum fragore ac fulminum ſtridore terrere ſolet mortales: diſcere politicos voluit inuigilandum eſſe etiã pueris, an in magno numero congregati, ſerio ludant. pone te eſſe infimum in Chriſti corpore membrum, & ſub tali capite, agnoſce dignitatem tuam. nec refert, quod temporalium bonorum penuria, potentiori ſeruire te cogat, cum ſeruiat Chriſto qui pe-

des

des Chriſti lauat. In naturali corpore hominis, quæ magis contemptibilia membra ſunt, magnum naturæ ſubſidium afferre ſolent: & frequenter per infimæ conditiones homines, iuſta Dei aduerſus humanum genus ira placatur, qui non reſpicit officiorum dignitatem, ſed ſeruorum ſuorum humilitatem, charitatem, obedientiam. potuit Saul bella domini, ſeuerus in hoſtes gerere, cui victimas veluti ſacerdos pacificus præſumpſit immolare. non placuit Deo militis hoſtia, ſicut neque placuit auidi militaris gloriæ Azariæ ſacerdotis prælium. Vigilans ouium paſtor fuit Dauid, pro quibus vrſum interfecit ac leonem, deinde generoſus ſub Dei beneplacito miles. Raphael cœleſtis curiæ princeps, à gabelo nummos exigere non recuſat vt proſpiceret domui Tobiæ, & facta eſt voluntas Dei in terra, ſicut in cœlo, cum perinde ſit beatis ſpiritibus, minima iubentis domini ſui in terris, exequi imperium ac maieſtatis diuinę aſſiſtere trono. Aſſignata cuilibet à Dei prouidentia ſors eſt, qui nouit onera viribus, officia talentis, adaptare. Curet animam ſacerdos, iuriſperitus facultatem, medicus ſanitatem: tueatur princeps domi, quietis publicæ ſecuritatem periculum ab hoſtibus auer-

tat foris: omnes domino inſeruiunt, qui nullam à ſua gloria conditionem excludit. ſerius homo Dei eſſe poteſt qui corpori humano veſtem parat, arma ornamenta: laudabilior qui animam hominis imbuit ſcientia, fidei doctrina, virtutis amore. Contentus ſuo ſtipendio miles, honeſto lucro mercator, fidelis ſuo domino aulicus, ad cœlum pergunt, & ſæpe virtute anachoritas excellunt: cum inter armorum ſtrepitum, conſcientiæ tranquillitas repetiri valeat, in officina, negotium ſalutis, in aula terreni principis, Dei famulatus. friuola ſunt omnia hominum negotia, in quibus Dei gloria atque animarum ſalus non quæritur. Qui meminit cuius capitis & cuius corporis ſit membrum, periculoſè ſeipſum negligit & proximum ſuum contemnit.

VIRTVS HOMIMIS DEI.

QVibuſdam vita præſens amara viſa eſt, ex eo, quod cum æternæ beatitudinis ſpe, tormentorum metum coniunctum habeat: optarent Deum non moderari terrena, vt liceret eis non curare cæleſtia: eligerent vitam brutorum, nec ſimilem reſpuerent interitum

teritum, contenti temporalis fœlicitatis certitudine, ne incertam ſubire cogantur, cum periculo perpetuæ infœlicitatis, arduam virtutis viam. Qui verò in fidei veritate non titubant (quæ, ſub Deo principe quemlibet Ieroſolymæ ciuem eſſe oportere, docet, vel ſub dæmone tyranno, Babylonis ſeruum) plerunque ſæculi cupiditate irretiti, quem odiſſe nequeunt dominum, contemnunt: & quem non diligunt, dæmonem ſuſtinent. Alijs propria ſalus cordi eſſe videtur, qui tamen de deprehenſa in proximo, Dei offenſa. tam parum dolent: vt potius iniquè ei commiſereri, quam prudenter diſſimulare nequitiam eius videantur. ſoluat dominus ſeruo tuo ſti pendium, ſuperaddat munuſculum, nihil iubeat contra Deum: nihil ad ſe pertinere affirmabit ſeruus, ſi dæmoni obediat in cæteris dominus. Sub quo principe tutus honor eſt, vita, facultas ſubditorum atque abundat annona diſſimulantur cætera, quæ ſaluo terreno principatu, turpiter ſeruire, dominum faciunt. Vix vniuerſitatem vitiorum in vna reperias anima: nam quorumdam ſcelerum turpitudo horrorem ingenuis incutere ſolet; quis enim ſacroſanctũ, Dei nomen blaſphemet, furto ſeu rana diteſcere velit, proditorio ictu ho-

ſtem inermem interimat? vino ſe inebriet? falſum proximo crimen imponat? contumeliam inferat? nec tamen innocens eſt, qui aliunde ſibi nocet. vnica catena ſerui vel rei indicium eſt; qui multiplici ferro immobilis ſeruatur in carcere, non temerè hunc viarũ craſſatorem, ſeu grauiſſimi criminis reum ſuſpicamur. Quos ad furtum vel homicidium inducere nequit aduerſarius hos illaqueatos tenet habendi deſiderio & cordis amaritudine. In Angelum lucis ſe princeps tenebrarum transfigurat, non quia dinina ei placent, ſed vt facilius decipiat, non vetat ſibi obtemperantibus ſacramentum vt committant ſacrilegium: demulcet eos ficta ſantitate, vt duplici oneret iniquitate. Chriſti ad Belial nulla conuentio eſt, nec vmquam ſtabit coram arca Dei erectus dagon. Odibilis Deo eſt, vir duplex corde, & qui peccat in vno, factus eſt omnium reus. quid prodeſt mulierculæ, vt ad Deiparæ imaginem cerenm ardere faciat, cuius lumine, viri non ſui, gradus nocte aſcendentis, lapſum cauet: damnabilius malæ fidei poſſeſſor ex ære alieno elemoſynam erogat; nam ſi pro benefactore ſuo precetur egenus, vſurpatori vero rei alienæ, verus dominus imprecetur: vtrius vocem, potius Deus audiet?

diet? inutilis Deo eſt, qui totam legem ſeruauit, cum propriæ ſaluti conſulnerit: vnius mandati tranſgreſſio hominem, Dei gratia priuat, ſine qua miſer eſt etiam is, qui mundi huius opibus maximè abundat.

STIMVLVS VIRTVTIS

PEregrinanti in terra aliena, dura loci gens, patriæ deſiderium excitat. hominem terræ incolam, circumdat vanitate ſua mundus alliciens, dæmon fraude circumueniens, ac propria prodit, conſpirans cum externo hoſte caro. periclitanti vnica ſupereſt ſalutis via: vt aſſumptis virtutum pennis, in ſublimè eleuatus, aduerſariorum declinet inſidias, atque ad patriæ cæleſtis manſionem animoſus aſpiret. Elementa in terræ cauernis coarctata, ruptis ſubindè montibus, exitum ſibi ad locum congruum faciunt: cur non anima hominis, mortalis corporis ergaſtulo incluſa, eò properabit affectu, vbi ſe in æternum permanſuram ſperat effectu? tanta virtutis pulchitudo eſt, vt in fictis & longè diſſitis à nobis perſonis, laudata arrideat, atque in damnatis ipſis quodammodò reſplendeat, dum magnificamus miſeros vbi non ſũt, Chriſtianæ Philoſophiæ, ſeruire faſcir.

cit, homo Dei, fictas à comicis virtutes heroum, Cæſaris clementiam, Alexandri continentiam, ac ſplendidam cum Darij coniuge ac prole regia hoſpitalitatem. qui vero obductam virtutis ſplendori: vitiorum denſitatẽ non ferunt, admirentur ex plebe homines à cæteris neglectos (ſolo habitu, quem geſtare homo Dei ſolet, indutos) iuſtorum ſocietate, deinde mororum probitate nobilitari: adeo vt viuentes, principum familiaritate digni cenſeantur, atque accedente infallibili Sanctæ Eccleſiæ iudicio, poſt mortem, fidelium omnium veneratione. Quid putas Cæſarem factutum ſi veniret ad vrbem? an loca illa, primo viſitaturum quæ monumenta antiquorum continent Imperatorum, an vero ædes piſcatorum? forſan ad Chriſti diſcipulatum, nobilis vnus, diues alter, orator nemo admiſſus eſt, vt virtutem in paupertate illuſtriorem, rarò potentiæ ſplendori ac natalium claritudini coniunctam nullam apud mundi ſapientes inueniri, diſceremus. Philoſophis gentilibus ob ſolũ temporale lucrum plurimum virtus curæ fuit; quid enim produxit paganorum fortitudinem, niſi humana concupiſcentia? quibuſdam ſibi ipſi ſufficiens præmium virtutis honeſtas viſa eſt; Chriſtianorum

rum vero virtus cum futuro prǽmio, in præſenti nobis vitam ſuauiſſimam ſuggerit. quod namque ſolatium peccatori eſſe poteſt, quem conſcientia reum declarat, iuſta Dei ſententia dãnat, impiorum turba expectat? homo Dei in paupertate diues, ipſos corporis dolores, veluti fælicitatis nuntios amplectitur, atque ingens reputat lucrnm pro momentaneo labore quietis æternæ dulcedinem reportare. Et tamen pro perituris mundi bonis,auidius currunt homines quam pro promiſſa virtuti beatitudinis æternitate; non tantum pro effodiendo ex terræ viſceribus auro ſudatur, ſed & pro lapide: merces non ſuas vehit nauta cum vitæ periculo, ſuas mercator cum cordis anguſtia: pro incerta ſanitate certum patitur corporis dolorem infirmus: terræ duritiem in vultus ſui ſudore frãgit agricola, atque innumerabiles ſubeunt moleſtias circa elementa & mixta corpora artifices qui tamen non aſſequuntur humanæ fælicitalis ſtatum: ſed laboris, periculi, doloriſue mercede, infælicem vitam pauliſper protrahunt, declinantes paupertatis miſeriã ſeu corporis infirmitatem. deplorandi ſummopere inter cæteros, qui pro patria ac principis auctoritate belli pericula ſubeunt, auidi pecuniæ gregarij

milites, militaris gloriæ, viri nobiles, ſi inſcio principe defraudati fuerint militari ſtipendio, ſeu generoſitatis præmio. Cum enim à caſtris exulare pietas ſoleat raro continget vnnm gladij ictum ſeu ſclopeti iactnm (qui cum vita corporali omnem ſpem bonorum temporalium aufert) intactam morienti relinquere, ſpem æternorum. Quid ! ſi eò vſque hominis incuria peruenit, vt ne ſtudij quidem tantundem Chriſti, quantum diaboli ſeruituti impendat. diuitum theſauris, matronarum pudicitiæ, vitæ inimicorum inſidiantur homines, noctes ducentes inſomnes. vt modica carnis voluptate, ſeu vindictæ dnlcedine fruantur. Hi potentes ſunt in iniquitate, quod ſi pios in infirmitate conſpexerimus: an non vtrinqne deſidia noſtra confunditur? ſurgunt indocti, impubes, puellæ, & regnum cælornm rapiunt: fæminæ poſſunt, viri non poſſunt? an quia præceſſerunt, pudet ſequi? & non pudet viros præſtantes corporis viribus, ingenio, ſcientia, rerum experientia, . vtriuſque ſexus infirmos, in via virtntis non anteire?

VNIO VIRTVTVM.

SOlus tutè ambulat princeps, quem ſubditorum fidelitas ſecurum facit, tutus eſt ſine principe ſubditus qui multis prodeſſe conſueuit, nocere nemini. In via domini ignota ſubindè ambulat, ſed numquam ſine cæterarum virtutum comitatu regina charitas; ſine qua infructuoſa fides eſt, etſi montes transferat, fatua Virgo, ac vana hominum prudentia. Quidquid operetur boni qui Deum non amat temporalis mecedis meritum eſt æternitati non ſeruit: niſi fortè magnum bonum æternitatis dicamus, minus acerbas luere pœnas, qui pauperem, charitatis inops de ſua facultate aluit, quam qui rapuit alienam. Vnius operis rectitudinis carentia, animam hominis ſuo pondere incuruat, quam deaurata charitatis veſtis, virtutum omnium varietate, circumdata, eleuat. Sub iugo ſuaui, leue onus ſuſtinet, qui Chriſti amore languet. adde ponderi materiali pondus; ſi non ſuccumbis, baiulans, ſudabis, I de virtute in virtute virtutem, qui lentè gradiebaris, curres in odorem vnguentorum. Affli-ge carnem rebellem, & tolles diuini amoris obicem, Detrahe tibipſi quod

propter Deum pauperi largiaris: ardebit magis ignis de Cælo miſſus, effuſo ſuper illum miſericotdiæ oleo. Eleua in Deum mentem, pio deuotionis affectu, & flammam charitatis excitabis. Multa latent in vno ſeminis grano, multa in plantæ nucleo: modica corpuſcula, frondes, flores, ariſtas continent, & fructibus onus tam plantam, imò & proceram arborem. multa latent in radice charitatis virtutum ſemina; quæ temporibus ſuis pullulare facit præcepti neceſſitas, conſilij vtilitas, charitatis feruor. Arridet frondium viriditas ac gratus eſt florum odor, etſi fortè fructum planta non proferat, benigno carens cælorum influxu. Placuit Deo Franciſci animus, cui martyrium defuit: placuit conatus ad martyriū, qui loco tyranni benignum reperit hoſpitem. laudabilis eſt promptitudo voluntatis, vbi non adeſt plenitudo poteſtatis. Expende minuta duo in pauperum ſubſidium, qui templum extruere non vales in Dei honorem, neque obeliſcum erigere. poteſt generoſo militi deeſſe gladius vel ſi ei adfuerit, in vagina geſtari, donec iuſſio regis vrgeat, vt ſtringatur. Paratus ad omnia homo Dei, non fruſtra theſaurum virtutum, in corde ſuo recondit, cui forſan dabit Deus

vt poſſit, qui dedit vt velit. Pone te numquam pro Chriſti Fide moriturum, numquam præclara virtutum (quæ à Principibus, ſapientibus ac diuitibus expectantur(opera editurum, gaude quia tibi datum eſt id, propter qnod, quæuis inſignia atque heroica facinora coram Deo probantur. Auidè pecunijs inhiant homines, quibus emi poteſt, quidquid corpori ſeruit: nec tamen in poteſtate vllius eſt, vt diues fiat. Veræ hominis diuitiæ virtutes Chriſtianæ ſunt, quibus charitas pretium facit. Panperes facultate voluntate diuites eſſe ſolent, qui miſeri eſſe non deſinunt, etſi diteſcere ſtudeant. In poteſtate hominis eſt, vt veras animæ diuitias acquirat modò ſit in voluntate. Poteſt quis cum laude, ob Chriſti amorem peritura mundi bona contemnete, neque velle ditari; at cum gratis oblatas à Deo, animæ diuitias reſpuere non liceat: qui potuit diues eſſe, cum noluit, forrè cum volet diues eſſe non poterit.

FIDES.

NAturas rerum inclinatio ſubſequitur, vt ad bonum ſibi atque vniuerſo congruum tendere conentur ac noxia declinare. Omnes creatoris imperio parent, à quo habent quod

ſunt & poſſunt, & quæ immediatè Deum attingere nequeunt, ad hominis vſum deſtinatæ ſunt: vt ſubiectam ſibi videns omnem corporalem creaturam cui nihil dedit, ſubdere ſe diſcat creatori à quo omnia accepit. Elementa mixtis corporibus in materiam data ſunt, plantis in alimentum; hæ animalibus, quibus homo veſcitur. Cætera veſtem, domum, arma, delicias homini ſubminiſtrant: & quæ incorruptibilia ſunt, cælorum ac ſiderum corpora, etſi perpetuo motu ſuo, boni ſibi nihil acquirant, nec mali metuant, quieſcere quodammodo in ipſo motu videntur, dum creaturam inferiorem, cui homo præeſt, benigno influxu recreant. In ſtatu puræ naturæ, quem fingimus, fœlix homo eſſe non poterat per diuitias, quæ corpori ignobiliori hominis parti inſeruiũt, & ab inuito ſæpè tolluntur; non per honores qui ex falſa plerunque hominum opinione & ſimulato fauore oriri ſolent: non per corporis bona quæ in noſtra poteſtate non ſunt, & in pleriſque id genus bonis, à belluis ſuperamur: neque per vllam rem creatam; ſed per ſolum ſummum bonum, quod inexplebilem hominis appetitum, infinita ſua bonitate ac perfectione ſatiare potuiſſet; in cuius perfectiſſima

conten-

contemplatione, ac vehementiſſima dilectione requieuiſſet, cum ad fælicitatem prodeſſe nequeat, amare ſummum bonum ſi non noſſes, aut noſſe ſi non ames. In ſtatu naturæ integrę (quem lugemus amiſſum) ſuperaddita homini gratuita & ſupernaturalia dona, ad claram Dei viſionem ac iucundiſſimam fruitionem, viam parabant, à qua peccando miſerè excidit. Quod ſi in reparata per Chriſtum natura Apoſtolus ſe infælicem vocat, ob rebelles carnis motus; quam longè à fælicitate fuerunt illi primi homines, qui redemptorem ſuum, vel non cognouerunt, vel cognitum neglexerunt. Ex quibus reperti ſunt, qui propriam non agnoſcentes miſeriam pro fælicitate (quam in primæ cauſæ contemplatione, naturæ lumine ducti, ſitam eſſe affirmabant) diuitias, honores, & corporis delicias, contempſerunt, vt liberius philoſophiæ vocarent. Super nouiſſimos hominum fælix cecidit ſors: vt ſupra fundamentum à Deo poſitum, quod fides apprehendit, hominem Deum, aurum & pretioſos virtutum lapides, ſuperædificare moliantur, inchoantes: in vita præſenti fabricam, cuius cacumen numquam ruiturum ad conſpectum Dei (per quem fælicitas hominis conſumma-

matur)

matur) perueniat. Et quoniam veritas de Deo (qui finis hominis eſſe debet) per rationem humanam inueſtigata, poſt longum tempus, & cum multorum errorum admixtione, homini proueniret, à cuius tamen veritatis cognitione, tota hominis ſalus, quæ in Deo eſt, dependet: magna diuinæ inſtitutionis ſalubritate prouiſum eſt vt per diuinam reuelationem certius, & conuenientius inſtrueretur. Homo homini fidem dat illibenter, quia fortè mendax illum fefellit, vel ſi ſerius eſt, fallere poteſt. Dæmoni credendum non eſt, etſi vtile ſuadeat. Paucos ſeorſim per Angelos ſuos, Deus erudiuit, ne transfiguratus in Angelum lucis, ſatanas (cui ob intellectus perſpicacitatem, ac rerum experientiam plurima à cognitione hominum remota, nota ſunt) ſub veritatis ſpecie, homines in errorem induceret. Quid ergo facit hominem, abſque formidine, diuinis myſterijs adhærere? an quia Deus loquitur, qui verax eſt, & fallere neminem poteſt, nec à quo quam falli? quis non credat Deo, ſi loqui ſibi Deum credat? nouit Dominus (ſemper verax, ſiue per ſeipſum loquatur, ſeu hominis vel Angeli vtatur miniſterio) auſcultanti ſibi, verborum ſuorum veritatem aperire. Sed

quia homo mortalis [illegible]antæ maieſtatis gloria opprimi timet, nec cordis eius anguſtia [illegible]ulcedinis ex Dei præſentia o[illegible]e multitudinem capit: voluit vt homo hominem doceat,, ac fidei, humilitatis, obedientiæque merito, inuiſibilem Deum in viſibili Eccleſiæ capite agnoſcat. Et ſicuti non dubitauit Iſrael, Deum per Moyſen ſibi loqui, cuius auctoritatem, tot prodigia & portenta formabant; ſic fidelis in Eccleſia, tam præclara conſpicit ad credendum motiua: vt, licet pleraque dogmata obſcuriſſima videantur etiã ijs, qui in fidei cognitione plurimum profecerunt, clarum tamen atque euidens ſit, non leuiter quemquam ſed prudentiſſimè ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fidem profiteri. Quam veritatem, temporalium bonorum amore capti, quam plurimi (qui Chriſti diuinitatem fatentur) in corde ſuo iniuſtè detinent præ timore confiteri erubeſcunt, & poſt conſumptos more paganorum vitæ ſuæ dies animam agentes, parum ſibi ac circumſtantibus profuturi, prædicare ſolent. Non ſuadeo modò, vt Athenienſes viſites (quorum gloria euanuit) nec Salmanticæ ſeu Louanij florentes bonis artibus academias: ſed obſerues in ciuitate quam inhabitas, negantẽ paruulo

piam

piam matron[illegible]nis fragmentum, niſi crucis ſigno munitus, vnum Deum in Trinitate & Trinitatem in vnitate veneretur, atque incarnationis Verbi fidem profiteatur. Vides quanta ſit fidei vis, vt per eam fiat dæmoni terribilis, puer, quem terret adhuc ferula præceptoris. minus ſapit, qui naturas animalium nouit, virtutes herbarum, ſiderum motus, maris fluxus & refluxus cauſam, quam quod ignarus puer à fœmina didicit. Et tamen hęc ſunt pręcipua fidei noſtræ dogmata, quæ paruulos in ſua ſimplicitate nutriunt, & mentes ſublimium in admiratione ſuſpendunt. Enarret prouectior ſub ſigno crucis latentem diuinæ maieſtatis gloriam, admiretur creatoris bonitatem, miſericordiam redemptoris, fælicitatem liberati peccatoris. Quam bonus eſt Deus, qui mundo vnigenitum ſuũ dedit: quam iuſtus qui proprio Filio non pepercit, ſed vulneratum propter impios, morti tradidit. Quam patiens, qui poſt veniam peccantes tolerat, & ad pœnitentiam benignus adducit. In homine Deo remedium vulnerum peccator inueniet: iuſtus vitæ exemplum, & quicquid in creaturis laudabile eſt, ob naturæ excellentiam, ſeu virtutis pulchritudinem, hoc totum in incomprehenſibili Dei

bo-

bonitate eminenter contineri, laudis diuinæ materia eſt, ac fidei noſtræ documentum. Sicut philoſophis ex viſibilibus quæ facta ſunt, ad inuiſibilium cognitionem deductis, nihil profuit rernm naturalium ſcientia, quia creatorem omnium non glorificauerunt: ſic qui fidei donum à Deo acceperunt ex immenſo ſcripturarum theſauro, nullum lucrum reportant, niſi fidem ſuam, ex charitatis atque obedientiæ operibus, oſtenderint.

SPES.

FIdes quæ peccatoris miſeriam [detegit, ac Dei iuſtitiam, ſic timere facit homines, iuſti iudicis vindictam, vt non deſperent peccatorum veniam magnum quoddam terrenus princeps facit, ſi delicti enormis reum à morte liberat; inauditum fere ſi ad ſummos honores euehat. Filia regis ſceleſto promiſſa non fuit, ſed generoſo militi qui cum exprobrante agminibns Iſrael gigante, auderet in pugna congredi, ac noſſet, in capitis vnius præciſione, de toto hoſtium exercitu triumphare. Superat Dei miſericordia quãlibet hominis miſeriam: & vbi abundat delictum peccatoris, ſuperabundat

dat gratia ſaluatoris. Quis ſperaret hominem poſſe fieri Deum, niſi crederet, ideò Deum factum hominem? qui quod maius eſt fecit, cur quod minus eſt non faciat? verax eſt qui dixit, fidelis qui promiſit. In hominibus (etſi principes fuerint) in vanum confidimus, cum in ſolo Deo, ſit hominum ſalus; qui quidem temporalia quædam bona ſubminiſtrare valent, quæ corpori ſeruiunt, vt idoneum animæ inſtrumentum eſſe queat: ſed nemo præter dominum, gratiam atque gloriam daturus eſt. Parum gratificari cenſetur, qui rem alienam, vel vi non extorquet, vel fraude non implicat. qui propenſioris erga proximum animi ſunt, ſæpè non habent vndè propriæ neceſſitati ſubueniant. Stolidiores nec ſibi, neque alijs prodeſſe norunt, cum ingentem pecuniam (ex qua vix auſi ſunt corpori ſuo ſubuenire ad neceſſitatem & ſtatui ad honeſtatem) perplexi ob mortis imminentis anguſtias ſeruo ſuo, vel ignoto cuidam, præ Chriſti pauperibus legare ſoleant, quia non licet eam ſecum portare: ij verò quibus alienus à ſordibus animus eſt, mortis imperio ſubiacent, vel ſi vixerint, à iuuandi voluntate abduci poſſunt, maximè ſi familiæ ſplendori ib eralem opum diſpenſationem, aduerſa.

uerſari, mundana prudentia dictitauerit. Non ſic ſperantem pudefacit diuina ſpes: cum rex immortalis non deficiat, immutabilis ſententiam non mutet, diues paupertatem non timeat, liberalis largiendo nihil minus habeat. Quod ſi præ multitudine iniquitatum tuarum, oculos ad cœlum attollere non audeas, vt à Dei miſericordia auxilium poſtules, ad cuius iuſtitiam pertinet, inferre pro peccato ſupplicium: ad aliquem ſanctorum conuertere, vt ſub eodem domino, acceptus filius intercedat, ſupplex ſeruus impetret. Matrem inuoca Virginem, vt per eius ſuffragium propitio tibi filio experiaris aduocati patrocinium & iudicis clementiam. Ne tardes conuerti ad dominum; nam qui peccatori veniam promiſit, quotieſcumque ingemuerit, vitam non promiſit, vt ingemiſcat. procraſtinaſti pœnitentiam ſuperſtes: reſpice latronem ſerò pœnitentem, & clama ad Crucifixum pro te, Deum morientem. non ſperat agricola fructum, niſi prius terram contriuerit, ſpinas ac tribulos euulſerit, ſeminauert, ac volucres cœli à campo abegerit. Qui animæ ſuæ ſalutem quærit, cor ſuum, peccatorum dolore conterat, ſpinas vitiorum euellat, virtutum ſemina iaceat ac

contra

contrà ſpirituum malignorum tentationes vigilet. Sanè poſt Dei miſericordiam, nulla in re aliâ ſpem ſuam, niſi in morum ſanctitate, conſtituere, qniſquam debet. Nam qua fronte ſperes à Deo quod tibi promiſit, ſi non facis quod iuſſit.

CHARITAS.

EXiguo ſumptu in aurum inferiora metalla commutat, ſqui petram philoſophorum inuenit. Charitas pretioſa fidelium margarita eſt, qua bona aliena ſua faciunt, & minima quæuis opera, in magni apud Deum meriti ſubſtantiam conuertunt. porrigat ſitienti aquæ frigidæ calicem, qui Deum amat, & ſuperabit eum, qui corpus ſuum frigidus dedit, vt ardeat. Dulcis poſt laborem cibus eſt, qui tamen ſumptus in Chriſti nomine, non minus animæ vires addit, quam corpori robur. Non longè ſe à terrena fœlicitate abeſſe homines exiſtimant, cum copioſi auri, in negotio vtili, venam detexerunt. Nam præterquam quod vitæ præſentis neceſſitatem, aurum ſubleuat, ac delicias homini ſubminiſtrat, ad diuitum ianuas, ſapientes pulſare facit, quorum auxilio, ſcientiarum theſaurum, diuitijs multis preſtantiorem,

ſtantiorem, acquirere valeant. Graue onus ferre cogitur, qui iniuſtè ablatas opes poſſidet. ad honores ſibi viam parat, qui bonis artibus quæſtus maximos facere didicit. Salutare de abigendo hoſte, venerandi ſenis conſilium, neceſſariò exigit, animoſi adoleſcentis brachium. pone poſt magnã hoſtium ſtragem magnanimum prælio ſuperſtitem, cicàtricibus nobilitari ac nobilium votis: an repulſam à ſenatu pati merebitur, qui magnam pecuniæ ſummam pro ſenatoris dignitate, honeſtus mercator contemnit? atque ille quidem vnam pro reipublicæ ſalute, vitam expoſuit: hic conſcriptæ ſuo ære cohorti arma & commeatum ſubminiſtrat ac ſemel ſuiipſius victor, toties laudem conſequitur quoties præclarum quoddam facinus, militans ſuo ſtipendio turma edit. In charitate præſentis vitæ fœlicitas ſita eſt, ac latet benttiudinis æternitas. Dicant mundani beatum, cui temporalium bonorum abundantia affluit: pretioſior tamen erit, ſuper ſterquilinium ſedentis, ſcabies, ſub qua, pro Deo extrema patientis, amor tegitur. Vbique miſer eſſe vult, qui charitatem ſollicitus non cuſtodit, ſeu amiſſam recuperare negligit. Ergo præceptum homini, de diligendo Deo, dare

oportuit

oportuit, ſine quo nec fictam quidem fœlicitatem nemo adipiſcitur, nemo ab vllo malo declinat. debuitne beneficijs allici vt ſequatur Deum, in quo omnia inuenit, qui amando quærit? minis terreri ne deſerat? pro modico lacte velox currit poſt matrem agnus, pro vermiculo pullus, pro panis fruſticulo poſt dominum canis: & qui à quolibet vento ſe rapi ſinit, lentus pro cœlorum regno poſt Chriſtum incedit ſuper terram puluis? extranei regis dignitas apud omnes in honore eſt: vlterius quiſque diligit ſuum principem quem honorat, cui iucundus eſt ſubditorum amor, nec recuſat munuſculum, ſinceri affectus argumentum. Sæpe admiramur vnius membri in integro corpore pulchritudinem, atque emicantem inter vitiorum enormitatem virtutis cuiuſdam in homine ſplendorem. Deus rex noſter eſt, cuius iuſtitiam meritò timemus, cum in conſpectu eius ſtellæ mundæ non appareant, quem amare non poſſumus, quantum debemus ob cordis anguſtiam, in cuius laude deficimus, cum excellat omnem mundi pulchritudinem. Et nos quidem ad amorem infinita Dei bonitas prouocat & pulchritudo in admirationem rapit: cui dum bonum volumus, illud volumus

mus, quod nobis etiam non volentibus, auferri ab eo nequit. Deus autem diligendo creat, creando, bonitatem rebus infundit, quam conſeruando perficit, & labentem reſtaurat. Vide quam ſpecioſam homini præparauerit domum, quam pretioſum in vaſe fictili repoſuerit theſaurum, quæ ſcientiæ ac gratiarum in anima hominis ornamenta. Lapſo protoplaſto carcer datus eſt, de quo miſer gaudere potuiſſet, niſi peccando meliora amiſiſſet. ſalutem humano generi, per prophetas famulos ſuos Deus promittere; ipſe dare voluit. quam inæſtimabilis fuit diuinæ dilectio charitatis, quæ tradidit filium, vt redimeret ſeruum. Dant opulentæ matres filios ſuos alienæ mulieri alendos: & quarum viſcera commouentur ſuper filiolum, ruſticæ lacte paſcendum (cum quo forſan barbariem ſuget) ipſæmet proprijs vberibus infantem ſic nutriunt, vt ſeipſas alleuient. Dominus Ieſus carne propria & ſanguine, filios ſuos alere voluit, vt facti generoſi obiectam ſibi à dæmone, ollæ Ægypti vilitatem, execrari valeant. Summi amoris indicium eſt, vt quibus maxima dedit Deus, pro his duriſſima paſſus ſit. pro amicis pauci aliqui mortui ſunt; pro inimicis, ſolus Deus. In

tanto

tanto dininæ miſericordiæ ſacramento etſi pie meditanti primò occurrat, cum crucis ignominia coniuncta tormentorum acerbitas: minus tamen eſt, quod mundi redemptor per tortorum inſtrumenta in corpore ſuo ſuſtinuit, quam quod ſanctiſſimam eius animam, grauitatis Dei offenſæ, ac tanti remedij, futuri neglectus, conconſideratione, contriſtauit. Qui nullum à reatu liberum reperit, & pro liberandis omnibus venit, prius ramen in gente Iudæorum, promiſſionem Abrahæ ac Dauidi factam adimpleuit, ſumendo ex ea carnem, in qua monita ſalutis, virtutis exempla, languorum remedia dabat illi populo, qui niſi conſpexiſſet operum ac ſermonum potentiam, ſublimius in illo nihil conſideraſſet, præter fabrilium peritiam. quod cœco à natiuitate, dominus oculos aperuerat, vt videret, quod Lazarum decumbere in conuiuio iuſſerat, reuocatum ad vitam. quod cordis ſecreta penetrauerat: quilibet ex Iudæorum gente affirmare poterat vt ſpectator, vel auditor. Et tamen ingratus domino ſuo populus (qui mirabilis in tribus, languores omnium curabat) ſeduci ſe patitur à principibus, quibus duriora viſa ſunt à medico cœleſti, animarum vulneribus

applicata

applicata remedia. Quapropter aduerſus Dominum malignantes in vnũ conueniunt, & ſtatim adeſt diſcipulus pecuniæ auidus, qui magiſtrum ſuum prodat quem, cæteri deſerunt, ſolum inter lupos relinquentes agnum, temerarius ſeruus percutit puſillanimis diſcipulus negat, Herodes cum exercitu ſuo ſpernit; iudex gentilis reluctante conſcientia condemnat, præ deſperatione ſe interimens Iudas contriſtat, ſatelles flagellis cædit, miles ſpinis coronatum irridet, grauiſſimum tandem, ob totius mundi peccatorum pondus, crucis onus ſubire iubetur Filius Dei; cui in cruce pendẽti à principibus, ac ſenioribus illuditur, & ſitienti acetum offertur. Etcum conſũmata eſſet ſcriptura de omnibus quæ de eo Prophetæ prędixerunt, moriens vitæ nobis auctor factus eſt. Miles qui in mortui corpus, latus eius aperiendo lancea, ſæuijt; viuentibus ob peccata mortuis, & viuis ne moriantur mirabiliter profuit. Nam per emanantem ex Chriſti latere ſanguinis & aquæ fontem: habet peccator vnde ſordes animæ ſuæ lauet, vndè pro contracto ex ſcelerum grauitate debito, diuinæ iuſtitię perſoluat: habet homo Dei contra peccati venenum efficaciſſimum antidotum, ac liberè per-

 miſ-

miſſum omnibus eſt ab irato Deo, ad placantem confugere. Sanguis Abel de terra clamando vindictam petebat: de cruce miſericordiam pro inimicis, Chriſtus poſtulabat: qui poſt immenſa homini collata beneficia, adhuc blaſphematur & contemnitur: nec tamen reis ſupplicium parat, ſed emendationis ſpatium. famuli laceſſiti à dominis, ſequuntur tamen, quia indigent. O mira Dei dignatio, ità non deſerentis peccatores, ac ſi eſuriret atque indigeret mêdicorum auxilio! ſed quid eſt, quod à charitate Chriſti nos ſeparat, ſeu quod benignè inuitatos ad Dei gratiam, deſides hærere facit infixos limo? qui dimittendi vincti electionem in Iudæorum arbitrio poſuit, iniquè virum iuſtum, cum latrone comparauit, turpius hebræorum populus, Saluatorem mundi Barrabbę poſtpoſuit. Parum honorauit dominum ſuum, qui Prophetam magnum ſeu regem Iſrael, appellauit. pro paucis denarijs mercator peſſimus Iudas ſanguinem iuſtum tradidit, quē totius mundi pretio æſtimari non licebat. poſteritati indigna res viſa eſt primum hominum (cui alij fructus ſuaues ad veſcendum non deerant) vnius pomi pulchritudine allectum, tantum ſibi ac mundo vniuerſo damnum

num

num intuliſſe.minus carpit venatorem ſibi magis quam poſteris damnoſum, qui prolentis edulio, famelicus, primogenita fratri ſuo vendidit. fragilitas ſexus Rachelem venia dignam facit, quod ob mandragorarum deſiderium, præceps, liæ ſponſi ſui thalamum ceſſit. Ex Chriſti diſcipulis, ſolus ille, abſque magiſtri iniuria, fugam arripere poſſe videbatur, qui Pontificis ſeruum gladio ferierat. Et tamen quotidie experimur, in eo in quo alios iudicamus, nos noſmetipſos condemnare. Increpa latrantem vetulæ caniculam; percute mordentem, & laceſſitus iniurijs, cum vindictæ pudore obmuteſce, declinans ira viri indignā. læſiſti ſimiam potentis fortè non volens, ad duellum te præpara pro certo beſtiæ vulnere incertam vitam ducturus impoſterum. Adam ex pomi eſu; ſpem diuinæ ſimilitudinis concipiebat: nos ex mandati diuini tranſgreſſione: certam præuidemus brutalitatem. Eſau eſuriens primogenita vendidit: & non deſunt qui abſque vlla corporis neceſſitate ventrem cibo vino caput onerant. Quod ſi Rachel ſponſi thalamum ceſſit, Liæ ceſſit, quæ ſine dedecore ſocia mariti eſſe poterat: quis non ingemiſcat, lanionem, lenone hiſce temporibus carius

 ven-

vendere? Et ſi Apoſtolorum metus, viros conſtantes non decuit, caſus periculo non caruit, ad cuius fugam natura prorūpit, dumratio cauſam diſcernit. Nos ſine vllo periculo à charitate Dei recedimus, imo cum ſummo periculo recedimus. Quid enim facturus eſſet, cui tyrannus Chriſti fidem abnegare iuberet, à feris dilaniando ni pareat, ſi verbulo inuitatus ad ſceleris conſortium ab amico (quem non ſequi atque obiurgare honeſtiſſimum eſt) tanta facilitate, promptus accedat? quid eſt quod vbi infamiam timemus atque hominum iuſtitiam, non tam facile à Dei charitate excidimus? paucos ebrios reperias, rarius fures; illis enim illudi ſolet, his patibulum erigi? fortè impunè peccant qui ſæpè apud homines in honore ſunt, etſi maioribus flagitijs ſeſe obſtrinxerint? qui ex hominum manibus eripitur, manus Dei non effugiet, in quas incidere horrendum eſt, etiamſi grauius, alij deliquerint: potentes, omnipotentis ira manet. ſi principes excipias? quibus etſi improbi fuerint honorem deferimus, cum raro deficiat eorum auctoritas niſi viuere deſinant) inanis gloria eſt, quæ à Dei charitate ſeiungitur. Qui in duello pugnare auſus eſt, etiamſi ceciderit, generoſi

equitis

equitis famam apud mundanos non amiſit. Sed quam friuolus honor eſt, quem in ſenſati deferunt, condito beſtiarum ſepulchro, damnato vt torqueatur ignis æterni ſupplicio. magnatum ſcelera diſſimulare licet ſi tibi ac reipublicæ obeſſe timeas, ijs verò prodeſſe non ſperes. Alexandro Macedoni exprobrare auſus eſt pyratarum dux, qui ſpem vitæ fere omnem amiſerat, quod iniuſtè cum paucis nauibus quæritantem ſibi in mari victum, damnaret, qui in ſummo honore habitus prouincias ac regna non ſua occupabat. potuit in gentili veritas, vt latroni parceret, non potuit vt iniuſto bello acquiſita, dominis ſuis redderet. Cum animæ iactura totius mundi lucrum detrimentum eſt: vide quam damnoſum ſit, quicquid à charitate ſeparat. exoſus Deo fur, magis exoſus homicida: caue ne victa auaritia, iræ indomitæ ſuccumbas. ſi quod in ore fidelis habet, opere adimpleat, in charitate Dei manet, ac manet in eo Deus. repetita hominum verba ſunt, vt voluntas Dei fiat: fiet autem ſi ſuper omnia Deum, & propter Deũ proximum diligas, qui non ſemper ſe amore dignum exhibet. Aſpice venerandum caput ad proditoris pedes inclinatum, ac diſce diligere inimicum,

qui ſolius amici amore ethnicum non non ſuperaſti. Tota fermè Chriſtiani hominis philoſophia, in hoc ſita eſt vt tantum vnicuique rei dilectionis impendat, quantum eſt in ea dignitatis. ex pretio collige hominis valorē. Non corruptibilibus auro, vel argento, redemptus eſt; ſed pretioſo Filij Dei ſanguine, an non dignus eſt, ab homine diligi, pro quo dignatns eſt factus homo, Deus crncifigi? quem diligere non poſſumus, ſecundum bonitatis meritum, nec quantum debemus, ſecundum gratitudinis debitnm, ſaltem Deum diligamus, ſecundum facultatem virium.

MISERICORDIA.

AD miſericordiam pertinet, non ſolum dona ſua, alijs effundere, verum & defectus miſerorum ſubleuare. Parcendo maximè & miſerando Deus omnipotentiam ſuam manifeſtat, cum hominem, quem de nihilo creauit, benigne ad pœnitentiam adductum diuinitatis ſuæ participem facit. Miſertus eſt Dominus Pauli, qui ignoranter peccauit, reſpexit ad Magdalenæ lachrymas, quam carnis fragilitas deiecit, nec vmquam deſpexit contritum cor hominis, qui qnaſi de-

indu-

induſtria à Deo ſuo receſſit, & vias eius intelligere noluit: vt conditus ad imaginem ſuam homo, auctoris ſui imitator miſericordiæ viſcera induat. omnia ſub pedibus eius ſubiecit, ac vitam animantium in arbitrio eius poſuit: vt ab eo cognita humani generis dignitas (pro qua inferiora omnia contemnuntur) amoris atque æſtimationis proximi ſui, ſtimulum pariat. Iniquus ſeruus eſt, qui ſciens domini piam voluntatem, in diſpenſando alieno propriam oſtendit vilitatem. Homo qui de nihilo non poteſt, de proprio nihil poſſidet, quæ dilatari vult Deus ſpatia charitatis, co arctare præſumit: & quæ ad communem omnium vtilitatem bona creata ſunt, in particularem vſum conuertere. Qui ſanguinem iuſtum ſe tradidiſſe agnoſcit, ipſe viderit, vox crudelium eſt, quorum nihil intereſt, an de Dei benignitate peccator diffidat, atque infœlix pereat. Si doloris acerbitatem patiuntur, qui Veneri, vel Baccho quondam dediti, ad meliorem frugem conuerſi ſunt: ſibi imputent immiſericordes clamant. Percuſſo calumniatori, hoc vnicum afferunt ſolatium, eum fœliciter euaſiſſe gladium dum incurrit baculum; hoc conſilium, vt linguam refrenet impoſterum, ſi vult

vt patiens iniuriam, cohibeat manum. Dicunt ſe compati egenis: ſed non poſſe ſatisfacere pio tuuandi deſiderio, ne à ſtatus ſui honeſtate decidant, atque vnico aduerſus inopinata fortunæ ludibria deſtituantur, auri remedio. Ad oppreſſos turris ruina, ad iactatos maris tempeſtate, ſeu fulmine de cœlo tactos, talium miſericordia reſtringitur, qui quidem habent miſerū cor ſuper proximi calamitate, ſed per quod, in doloris argumentum ſolos humeros contrahunt, neminem ex anguſtijs extrahunt. Confundunt ignorantem, quia non didicit: obiurgant fragilem quia non reſtitit: damnant eruditum, quia non timuit. cum verò vix abſque peccato, vita humana transfigatur: nulla erit immunis ab ignorantia, cuiuſuis hominis ſapientia, & plerunque, qui à carnis voluptate ſe abſtinuerunt, ab impotentiori inimico ſuperati ſunt, ſuccumbentes auri cupiditati, ſeu vindictæ deſiderio. Deus (qui non minus coruorum quam columbarum pullis, eſcam præparat, ac ſuper iuſtos pluit & iniuſtos) non reddet cuiquam iuſtitiæ coronam iuſtus iudex, niſi prius miſericors pater conceſſerit gratiam. Promiſſa eſt miſerenti miſericordia; væ non habenti pietatis viſcera.

BENE-

BENEFICENTIA.

QVi diligit, quod vult dilecto bonum non in ſecreto cordis recondit, nec verborum officio limitat, ſed vbi facultas adeſt foras exhibet. Non patitur mater vagientis filij ſui lachrymas, quæ lacte abundat, neque ad ſeruitutem aliorum, deputat pater adoleſcentem ſuum, quem pingui hereditate, ditare poteſt, vt nemini inſeruiat. ad omnes nos operari bonum iubet Apoſtolus, & ſæpè ob rerum huius mundi inſtabilitatem, vnius auxilio indiget, qui pluribus opem ferre conſueuerat. Quis vmquam crediſſet ſe daturum Belliſario obulum, ſeu patri ſuo (à quo amplam hereditatem expectabat) alimenta ſubminiſtraturum? imò tanta eſt charitatis vis: vt qui rei familiaris inopia premitur, & corporis ſanitate deſtituitur, omnes complecti ſua beneficentia valeat, cum pro ſalute omnium ſupplex Deum deprecatur. Remotiſſimi à nobis, natura tamen coniuncti ſunt: fides ſtrictius nectit quam plurimos, è quibus perfectiſſimo charitatis vinculo nonnulli coniunguntur, Roga Deum, vt infideles Chriſti fidem ſuſcipiant, peccatores recipiſcant, periclitantes di-

ligendo ferueant, iuſti in bono perſe-uerent ac iuſtificentur adhuc; & bene-ficum te omnibus exhibuiſti. Etſi lin-gua careat, qui proximo benefacere ſtudet, propter ſe diligentis, Deus de-ſiderium exaudiet.

ELEEMOSYNA.

QVi talentum ingenij ac rerum af-fluentiam à Deo accepit, cauere omnino debet ne taceat, neque à mi-ſericordiæ largitate torpeſcat; ſicut enim protegit ſapientia, ſic protegit & pecunia: melior eſt, qui celat inſipiē-tiam ſuam, quam homo, qui abſcondit ſapientiam ſuam. Deus in cœlo diues in pauperibus eſurire voluit: vt cui beneficium ex amore præſtare homo non poterat, in proximi ſui dilectione æſtimationis diuinæ dignationis, ſi-gnum oſtendat. Nihil ad emolliendam humani cordis, duritiam, accommo-datius eſſe poterat, quam cum homi-ni egeno dat diues, Chriſto ſe dare credat, à quo accepit, quicquid dat. Neque proximo auxilium deneganda-dum eſt etiamſi peccator fuerit. cui non vt peccet, ſuccurrimus, ſed vt viuat, & ad Deum per pœnitentiam redeat. Nam etiamſi homicida aut la-tro fuerit, an non videtur modico ar-gento dignus? & ſi dominus tuus, illi

ſolem

ſolem quotidie producit, tu neceſſario cibo illum indignum iudicas? qui a pro vno pane, totam miſerorum vitam inquirimus, coguntur vanis artibus atque inuentionibus noſtram humanitatem pellicere atque emollire duritiem. qui flendo, tranſeuntem abſque miſericordia expertus eſt, cantando ſcurrilia atque obſcæna, mouere nititur, duri hominis animum: & qui ſibi ſoli proſpicere nequit ex piorum eleemoſynis, familiam, mendax fingit, vt filiorum innocentia, prodigalitatis ſeu pigritiæ ſuſpicionem diluat. In vno pauperis corpore, coniuncta, famis, ſitis, frigoris ac nuditatis incommoda, adhuc crudelia hominum viſcera ad miſerandum non flectunt: & probat miſer, inflicto ſibi vulnere an plagis vlceratum ſaltem iuuabunt quem nudum atque eſurientem deſpexerunt. Qui libertatem captiuo reſtituere nequit, ſaltem conſolationis hilaritatem afferat: & qui morbi remedium neſcit, infirmo præſentiam ſuæ perſonæ exhibeat, modo non nuda verba ac ſalutationem ſimpliciter præſtitam, contineat miſerentis viſitatio. Non minus valet ad arcendam febrim qui noxia poſtulantem infirmum non exaudit, quam qui pharmacum attulit qui ad ſomnum incitat, quam qui à

 ſom-

ſomno cohibet, qui repletum noxijs humoribus decumbentis corpus euacuat, quam qui purgatum iuſculo recreat. Sæpè tam fructuoſa captiuo eſt ex charitate interpellantis opulentia, quam aduocati patrocinium: ſi ad rudium hominum captum reſpicias, (quibus merito admirationi ac venerationi ſunt, qui facultatibus ſuis varij generis pauperes ſubleuant, peregrinos hoſpitio excipiunt, mortuos ſepeliunt) parum efficere videntur, qui verbo, ac doctrina defectus animæ tollunt: quorum tamen præſtantior opera eſt, cum nobiliori hominis parti grauiter laboranti, remedium afferant. Minus nocet homini, ſi lumen cœli non videat, quam ſi viam veritatis ignoret: ſi grauiter claudicet, quam ſi de vno fidei dogmate dubitet, ſi in corpore lethale vulnus accipiat, quam ſi à Chriſti Fide per errorem pertinax recedat, ſeu à charitate excidat. multum debet homini viator, qui ſe à via regia aberrantem, atq; vltro ad latronum latibula properantem tempeſtiuè reduxit. Quid non debeat peccator hominiDei, quiſe per prauã viuendi conſuetudinem, dęmoni ſubiectũ, de poteſtate tenebrarum eripuit? quodnam ſit miſero collatum beneficium, qui proximum grauiter

offen-

offendit, ſi ei ignoſcitur, & mores eius patienter tolerantur, impatientis animi in ſimilibus, vindicta demonſtrat. Nemini moleſtiam pariunt fidelium animæ, quæ in charitate hinc migrauerunt, ac iuſtitiæ diuinæ in Purgatorij flammis, pœnas debitas perſoluunt: quarum lachrymabiles voces eo magis ad miſericordiam flectere debent hominis Dei animum, quo cruciatus illarum acerbitas, huius mundi tormentis, longè vehementior per certiſſimam Eccleſiæ Dei reuelationem ei innotuit. Contingit pauperem induſtria ſua, ad pinguem fortunam peruenire, captiuum carceris clauſtra perfringere, ac fermè omnibus huius vitæ malis prodeſſe ſolet patientis deſiderium, conatus, cooperatio vt liberetur. Animabus verò his interclusa via eſt, qua ſeipſas iuuare valeant: vndè à miſericordia aliorum expectant, quo leniri dolorem ſuum, vel penitus tolli à Deo acceptante, ſperent. vt corporis neceſſitati hominis Dei charitas ſubueniret; pecunia opus erat: vt ferret animæ opem, ſapientia & conſilio. Dum deficit vtrumque, ſufficit petentium à potentiſſimo domino, auxilium, gemitus ac deſiderium. Vides quod nullus mortalium, miſer eſt, niſi qui miſer eſſe voluerit.

COR-

CORRECTIO
FRATERNA.

SI qui peccat, lapidibus ſtatim obruendus eſſet ab innocentibus, nemo auderet primũ lapidem in eum mittere: cum peccatorẽ vermis conſcientiæ rodat, iuſtus de ſua iuſtitia non præſumat; non adhibemus corpori humano ferrum, cui herbarum vis mederi poteſt: nec cuilibet culpæ, leges mortis pœnam decernunt, cum mortuum nolit legiſlator, quem ſperat emendandum. obuiandum eſt, ſi homo deliquerit: nam beſtiæ ſuccurritur ſi in foneam cadat. Mouere potes, coercere non potes, niſi ſubditum qui ſi in te deprehenderit, quod in eo reprehendis: quem ad compunctionem mouere ſtatuiſti, ad ridendum prouolas. Sin verò grauiora in te animaduerterit crimina, veluti ſuperior factus. cum in tam profundum malorum non venerit corripientis auctoritatem, ſpernere præſumit. ob vitæ probitatem ad corrigendum idoneus amaram ſaccaro benignitatis, inuolue correctionis medicinam. Fac vt aucupes ſolent, qui teguntur ſfrondium viriditate, ne coloris varietate volucres terreant, Dic tibi incumbere corrigen-

di onus, quod Charitatis officiũ à quo-libet maximopere tibi peccanti præ-ſtari deſideras: nam ſicut Elephantis iram, viſus placat agnus, tormento-rum bellicorum impetum frangit la-næ mollities: ſic obiurgantis morum ſuauitas, humanam vincit malitiam. Freno equos, catena leones & vrſos, domare homo didicit; vt naturalis fe-ritatis obliti, humanam videantur æ-mulari manſuetudinem. Hominem qui peccauit conſcientia propria ac-cuſat, timor pœnitere facit, correctio lenis confiteri, à ratione ſe vinci pa-titur; à benigni viri affabilitate corri-pi; ſic tamen vt proprio iudicio con-demnari malit, quam conuinci alieno. ſi monendus eſt qui præeſt, concinnè adaptata parabola, ità exprimat peccatoris miſeriam, vt ſaluet digni-tatis gradui debitam reuerentiam. Æ-qualis tibi fortè iraſcitur, ſaluberri-ma ſuadenti? tu impoſito ori ſilen-tio; clama probitatis exemplo. Ille tutè fraternæ correctionis officium ſuſcipit, qui voluntariè alteri ſubie-ctus, & nemini præpoſitus, ob pec-catorum ſuorum grauitatem, ſe ad corrigendos alios ineptum reputat, nec temerè affirmat proximum ſuum grauiter deliquiſſe, vel ſi deliquerit, immerſum peccato diu iacuiſſe: tam

ſinceræ

ſinceræ mentis hominem, quis corri-pientem moleſtè ferat.

PRVDENTIA.

PRudentia humanę actioni finem debitum præſcribit, & conuenientia media, quibus attingi valeat. Puerilis occupatio eſt, ſi ex creta formatis maſculis per agmen & cornua diſtinctis, chartaceam munitiunculam oppugnes: cum ſic nihil aliud quæras, quam vt ludendo, dies lætus tranſeat. Secus ſi belli dux, figmentis ſuo ordine diſpoſitis, veluti in idea contemplętur, quomodo regionem ab hoſtium furore defendat, vel domi occupatos per caſtri alicuius obſidionem, teneat. Sicuti nugaces pueros dicimus quia multum laborantes, neglecto ſerio fine, chartaceum caſtrum per cretatos maſculos expugnauerunt, ſic de quolibet mortalium rectè affirmaueris, quod vanitati ſubiectus ſit, ſi in operando præter animæ ſalutem, ac Dei gloriam, alium ſibi ſcopum præfixerit. prudentes huius ſæculi ad diuitias. voluptates, atque honores, omnes ſuas cogitationes referunt: cum tamen poſt multos labores, contraria ijs frequenter eueniant, vel dum breui moriendum eſt, acquiſita,

amari-

amaritudinem potius afferant. Opulentia fures, voluptas riuales, honor æmulos infenſos habet, ac ſæpè dum cum magna cautela lucrum quæritur, inopinatus ſocij caſus, nihil tale cogitantem deiicit. Quoties qui animo irreuerenti & infrunito ad amplexus properabat, gladium obuium habuit, qui vitam adimeret parato, ad lædendum proximi ſui honorem? Aman honorandi normam ſuo regi propoſuit, quam circumducendo Mardochæum, ſequi cogitur; & qui ſuperbè elatus poſt regem ſummum obtinuerat imperium abiectus ſuſtinuit patibuli opprobrium. Pone votorum ſuorum compotes fieri, qui terrena concupiſcunt, id ſanè non niſi poſt varia rerum diſcrimina & conſumptas corporis vires accidere ſolet: vt potius heredibus vitæ commoditas parta videatur, quàm merces laborantibus reddita. Ergo tanta ſollicitudine commoda domus quæritur, vbi parum habitaturi ſumus, & non curatur alterius vitæ habitatio, vbi in æternum manſuri? ac ſi præ domo paterna tabernam, præ patria carcerem diligeremus? non erubeſcit ſcriptura, animal rationis honore dotatum, quamdiù peccauerit, animantium irrationalium diſcipulum facere, vt figere cor ſuum in

eo diſcat, à quo recedendo, ruit ad interitum. Et quidem animantibus à natura præfixus terminus eſt, vt præter temporalem vitam (quam proportionato ſibi alimento prolongare norunt) nihil quicquam vlterius deſiderent: hominis verò fœlicitas, tunc principium ſumit, cum vitę huius infœlicis miſeriæ mors finem impoſuit. Incidi ſe patitur ſerpens prudentiæ magiſter, vt ſaltem in capite vitam tueatur, qua pretioſius nihil habet. Qui etiam venefici cantilenas eludere ſolet, dum vna aure terræ infixa, aliam ſua cauda obturat. Quibus inſtructi documentis, blandientis mundi inſidias per mortis ac propriæ vilitatis conſiderationem, declinare diſcimus & pro fide charitate formata (qua homines Dei effecti ad æternitatem aſpiramus) quęlibet chariora huius vitæ bona contemnere. Glomeratim formicæ ad colligenda neceſſaria properant, ex quibus hiberno tempore victitent. Quibus tanta ineſt congregandi ſollicitudo, vt ſuis viribus impar onus ſuſcipiant, in quo ferendo ſociarum auxilium experiuntur: cum interim cicadæ acutæ vocis ſtrepitu aerem percutiant aures hominum offendant, hyemis ſterilitatem ploraturæ. Fortè habitantium in vnum homi-

num Dei concordiam, in parua animalium republica, æterna ſapientia exprimere voluit, quorum alter alterius onera portantium grauis cura eſt, ne deſtinatum gemitibus tempus (in quo bonorum operum ſemina iacienda ſunt, quorum fructus ab hibernæ ſterilitatis timore liberet) ob vanas huius mundi cantilenas, ſibi elabi ſinant. Verè prudens eſt, qui vitiorum pericula præcauet: & ſi peccare eum contigerit, pœnitentiæ remedia adhibet; & contra futura infortunia virtutum copiam congregat, quicquid præter virtutem, in mundo ſpecioſi eſt, ad conditorem omnium remittit vt vaſti cordis tui deſiderium ſatiet. Caue ne te hæſitantem in via, noctis tenebræ comprehendant, crudelitas latronum feriat.

IVSTITIA.

IVxtà datam ſibi à Deo bonitatem, quęlibet creatura æſtimationem meretur ac laudem. Soli rationali naturæ proprium eſt, vt libertatis vſu melior euadat ſeu abuſu deterior. cętera omnia etſi præſtantiſſima Dei dona fuerint, auctoritatem atq; admirationem conciliant, bonitatem non augent. vt corporis ſui neceſſitatibus homo ſubueniat,

niat, temporalium bonorum adminiculo indiget: vt verò reipublicæ operam ſuam vtilem faciat, diuitijs multis præſtantius nomen bonum efficit. Homo Dei nec tollit alienum, nec retinet: & ſi apud eum quicquam repoſitum fuerit, formidare incipit, niſi viri probi depoſitum fuerit. Maior illi de proximi fama cura eſt, quam plerique ipſa vita præſtantiorem exiſtimant; nam cum fictus honor ſit Quem improbo deferimus (ſi dignitatis auctoritatem excipias) veræ morum innocentiæ debitum negari honorem, vel fictè exhiberi non ferunt, qui potius mori quã viuere abſq; honore elegerunt. Vnicum laudis humanæ atq; honoris fundamentum homini Dei cordi eſt: vt quod oculis Dei diſpliceat in moribus eius homines nihil quicquam deprehendant. Illum ſolum honorem patitur, quem (quia cum Dei honore coniungitur) reſpuere nefas eſt; illam apud homines æſtimationem curat, quam ad proximi ædificationem neceſſariam eſſe cognoſcit. Quod à pernitioſa hominum loquacitate, damnum paſſus eſt, more muliercularum non reparat, imponens calumniatori magicam ſuperſtitionem, à quo incontinentiæ notam accepit, neque excepto cum riſu à ſatel-
litibus

litibus duello, vindicat: ſed patientia ac manſuetudine (quæ detractorem tacitè confundere, auditorem in admirationem rapere ſolet) cœleſti curia inſpectante, tolerat, atque in bono malum vincit. Vide mentis humanæ inconſtantiam. non minus qui remittit offenſam, quam qui viſitat infirmum, miſericordiæ opus exercet, & tamen hoc mundus approbat, illud damnat. quia ferro præfertur aurum, fabro-ferrario aurificem præponit, cum tamen magis æſtimare laniones ſoleat, qui beſtias, hominum ſuſtentationi deſtinatas in caulam compellunt: quam ſtatores atque exploratores, qui pro tanto reipublicæ bono, moribus hominum inuigilant, terrorem reprobis incutiunt, deprehenſos in crimine ſiſtunt, ſecuritatem inſontibus afferunt. Ob ſolam venerandi Numinis præſentiam homo Dei facultatibus proximi ſui non inhiat, famæ non derogat, vitæ non inſidiatur: neque tamen præclarum quoddam opus ſe edidiſſe exiſtimat, dum à malis iſtis abſtinuit, cum nec fera cuiquam, niſi irritata noceat. Ad principes attinet propulſare iniurias, grauiter delinquentibus pœnam infligere ac virtutis prœmia, ſecundum operis boni qualitatem atque operantis amorem, æquabiliter diſtribuere

buere. Scribo ad ingenuos, qui vel Romani ſint, vel Romanis plurimum addicti (quos à melioribus confirmari decet, atque ideo de vitijs & peccatis pauca attuli, quorum tamen deformitas, ex virtutis pulchritudine cognoſcitur, cum contrariorum eadem ſit diſciplina) tam vilis eſt alienæ rei vſurpatio: vt niſi quis, ſummæ beneuolentiæ ſigna, prius expertus ſit, non audeat de amici pecunia in minimo, confidenter diſponere, ne qui mutuam ignorat beneuolentiam, de fidelitate eius dubitare incipiat. Tam exoſa homini Dei eſt detractoris lingua, vt licet falſum crimen proximo non imponat, tam horreat ſine cauſa detrahentis loquacitatem, quam ſine cauſa peccantis fragilitatem. Hereditatis via, res aliena ad te tranſmiſſa eſt; non expectes iudicis ſententiam ſi legum optimum interpretem contra te ſentias conſcientiam. inueniſti quod tuum non eſt, ac dominum quæris. Inuento redde, à te inuentum: non inuento, fac pauperem ſuccedere. De tua verò paupertate, iudicet alter: ne dum rei inuentæ dominum quæris, veri domini, certo ſucceſſori, dubium ſubſtituas ſeu furem. Si naturæ bonitatem deſideras, ſolus Deus bonus eſt: cætera omnia ideò bona ſunt, quia de

im-

immenſa bonitate aliquid participant-de rationali creatura male opinari non licet quia defectibilis eſt? nam ſic præter ſpiritus beatos & glorioſas animas nemo ab hominum ſuſpicione tutus foret. Imò de grauiſsimo crimine, quemlibet ſuſpectum eſſe oporteret, cum non ſine cauſa timeat, qui ſtat, ne (ſi protectionis ſuæ gratiam Deus illi paululum ſubtrahat) grauius cæteris delinquat. Senibus compatimur, quod difficulter bonum pronuntient, à quo nihil mali paſſi ſunt, cum toties decepti à malis ſub figura probitatis titubandi ius ſibi acquiſiuiſſe videantur. Si ex leuibus indicis alius quiſpiam proceſſerit, occaſionem ſuſpicandi dabit, ſe malè affectum erga proximum, facilè credere quod appetit: vel in eadem occaſione facturum, quod in illo damnat. dupliciter temerarius Phariſæus ille fuit, qui dignitatem Chriſti Propheticam in dubium reuocauit, quod ſtatus mulieris ignarum, & peccatricem adhuc crederet mulierem; cuius lachrymæ iam pœnitentis, vel ſaxeum pectus emollire potuiſſent. Ita non licet de eadem perſona in eiuſdem generis crimine ſine indicio quicquam ſiniſtri ſuſpicari, cum duodecim horarum ſpatio magna in vtroque mundo mu-

tatio

tatio frequenter accidat. Multò minus ab vno ad alterius generis crimen argumentari licet etiamſi de Eccleſiæ Chriſti aduerſarijs quæſtio mota ſit. Hebræorum gentem (quæ grauiter contra fidem delinquit) non rectè dixeris, cuilibet vitio mancipatam, neque hereticum, qui ſeptenarium Sacramentorum numerum negat, propterea furem vocabis aut latronem. Sic declinat homo Dei iudicij temeritatem: vbi fieri poteſt actionem proximi probat: quæ ſi iuſtificari nequeat, rectam operantis intentionem ſaluat: vndique implicatum, ex ignorantia magis vel fragilitate, quam ex malitia deliquiſſe eum affirmabit; tam rudioribus quam ſapientibus debitor. facilius excuſat, quod per obliuionem commiſſum, vel omiſſum eſt: cum ſacra pertractantis myſteria religioſum cor, de mundano puluere ſordeſcere perſæpè lugeamus. Principis perſonam geris: fac vt in commiſſa tibi prouincia, vnicuique tutus honor ſit, ſecura facultatum poſſeſſio. Nemo ſub tuo regimine, ſe cum ignominia viuere, nemo cum paupertatis incommodo ingemiſcat. Ereptum ſibi patrem ab homicida, orphanus non queratur, nec vidua maritum. Si legis tranſgreſſio vindicanda eſt, meminerit

rit quod (quibus iuſtè à Deo pro delictis ſuis pœna infligitur) hi à miſericordia eius penitus non excidant, cum citrà condignum puniantur perpetuis ſupplicijs addicti. Non delectatur Deus morte peccatorum, quos vult ſaluos miſericors, condemnat verò iuſtus prauitenaces. Vbi homo Dei iudex, eſt pro reo gratiâ principis implorat, vel ſaltem clementiam. Si ſubditus libertati ſuæ relictus, reipublicæ noceat: mancipatur caceri, non tamen tam tenebricoſo vt ante examen pati cogatur, quod fortè poſt iudicis ſententiam ei non infligetur. Qui ſi mulctari meruit, non ita denudatur bonorum ſuorum ſnbſtantia, vt prematur durius paupertatis anguſtia. Quando reipublicæ expedit, vt ad terrorem cæterorum moriatur qui peccauit (niſi delicti atrocitas aliter exigat) mortem ignominiæ coniunctam ſatis duram homo Dei æſtimat, abſque eo quod producta per varios cruciatus miſeri vita, optare mortem ipſam cogatur pro tormentorum remedio, quam acceptare eum oporteret pro peccati ſupplicio. Laudent omnes moderatoris æquitatem, ſub quo ad æqualitatem reduci vident quę pretio æſtimari ſolent, & non ſine clementia de peccatis hominnm ſumi

vindictam. Multi verò non capiunt; quomodo ab homine diſpenſatore non fiat, quod à Deo rerum omnium domino (qui ſe, miſericorditer promittendo, debitorem conſtituit) fieri credunt. Apoſtolus iuſtitiæ coronam à Deo iuſto iudice ſibi reddendam aſſeruit, quam meritorum diuerſitati correſpondentem à quolibet fidelium in via virtutis contexi, dubium non eſt. Et quidem nouit dominus hominum merita, quorum omnium, vnus merces magna nimis eſt. Forſan impoſſibile homini diſpenſatori eſt, vt de temporalibus bonis, quæ apud homines in pretio ſunt cuiuſſibet virtuti præmium tribuat; itaut niſi rempublicam ex principibus viris de nouo conſtituerit) vix ſubditorum merita adæquare poſſe videatur. Non aliter priuatum cuiuſlibet bonum à principe conſiderari debet quam vt communitati deſeruiat. Sanè non ſemper qui vitæ ſanctioris ſunt ad reipublicæ regimen, ſunt magis idonei. Ignota ſæpè moderatori virtus priuati eſt, vel nouo ſuperueniente crimine obſcurata: quid mirum ſi ignotum ſibi, princeps non promoueat, vel cognitum minus dignum negligat? qui in humano negotio damnum aliquod paſſus eſt licite illud ſibi à iudice reparari

poſtulat

[redacted]

poſtulat. Non ſic in honorum gradibus contingit, ad quos nemo niſi vocatus aſcendit, quoſque meritiſsimi non modo non petere, ſed vltro oblatos recuſare conſueuerunt. In conſiderandis ſubditorum meritis, interdum principes obdormiſcere, diuina permittit prouidentia: vt nec temporalia quidem bona, homo Dei, de proprio merito confidens, ab hominibus, etſi principes fuerint, expectet, ſed ad ingens virtuti paratum præmium terrena negligens, feruenter aſpiret. Non mirum quod qui propria ſua bona egenis largiri ſunt Deo placuerint, cum qui innoxias à proximi vita, ac facultatibus manus ſeruat, linguam à maledicendo compeſcit, fideliterque diſpenſat, quod ſibi non quadrat, mercede apud Deum non careat.

RELIGIO.

DE dictamine rationis eſt hominem ſuperiori naturæ ſubiici à qua ob naturæ humanæ defectus adiuuari ac dirigi ſperet, ſed & puniri timeat, ſi deliquerit. Qui præparat eſcam pullis coruorum, orphano adiutor eſt, & viduam reſpicit. Fugit latro nemine perſequente, & qui cri-

minis ſui teſtes non habuit, iudicium hominum eludens, propria accuſante conſcientia, cuncta videntis ſcelerum vindicis, ſupplicium horret. Nulla tam barbara vmquam natio extitit, quæ Deo quem ſciuit, vel putauit, vel finxit ſacrificandum eſſe non cenſuerit. Hominem Dei, certior fidei cognitio ad proteſtandam diuinæ Maieſtatis excellentiam inducit: à qua creationis ſuæ originem, conſeruationis beneficium, redemptionis gratiam recognoſcit, beatitudinis præmium ſperat. Cui ſupremi honoris cultum exhibet, ac deuotam promptè ſe tradendi (ad ea quæ ad eius famulatum pertinent) voluntatem. Quem deprecando reueretur, dum ei ſe ſubiicit, & profitetur ſine bonorum ſuorum auctoris auxilio, fruſtra conari humanam fragilitatem. Quidquid ab homine, Deo redditur, debitum eſt, æquale non eſt, cum reddere ei nequeat quantum debet. Ad id quod poſsibile eſt homo Dei feruenter aſpirat: & qui præcepti neceſſitate, ad multa pietatis opera conſtringitur, motus conſilij ſalubritate, præſtantiſſima offerens, immobiliter Deo adhærere ſtudet. Mentem non ſolum deuotam, creatori ſuo offert, ſed & corporalibus humilitatis ſignis, ad tantæ maieſtatis reuerentiam

tiam ſeſe excitat, dum genuflexus propriam infirmitatem, proſtratus, vilitatem ſuam deſignat, laudibus hymnis & canticis, tam ſuum quam audientium animos, ad Dei amorem ac venerationem inflammat, ac dum cor ad Deum loquitur, vox apud proximos, diuinæ laudis, ac vita Chriſtiano nomine digna, holocauſtum formare videtur, mundo moriens ac ſoli Deo viuens. Iſraelitis ſacrificandi modus iniunctus eſt, ne gens ſuperſtitioni dedita, ad idola difflueret: quæ tamen ſacrificia non aliter Deo accepta fuerunt, niſi quia vnigenitum Filium ſuum pro humani generis redemptione oblatum figurabant. Tam in lege naturæ ab Abraham oblatus Iſaac, quam in lege moſaica vnus ex oblatis auolans paſſer immunem à Paſſione Chriſti diuinitatem præfigurabat: hærens cornibus in vepribus aries, atque occiſus paſſer, ſacratiſſimam Domini noſtri humanitatem Et quidem in lege veteri, cum diuitum victima pretioſa eſſet, pauperibus ſubuentum eſt, vt par turturum ijs ad immolandum ſufficeret. In lege verò gratiæ, par omnium in ſacrificando conditio eſt, nulla bonorum diſperſio. obſtupuere hebræi ſtetiſſe ſolem ad Ioſue ducis imperium; & quid mirabilius ad ſacer-

 dotis,

dotis etiam indigni verba, ſolis creatorem, ſacræ humanitatis ſuæ præſentiam exhibere. Miniſtro Eccleſiæ Dei proprium eſt, hanc, tam pro ſe quam pro populo, acceptabilem Deo hoſtiam offerre: commune omnibus, ac Deo poſt Vnigenitum ſuum gratiſſimum ſacrificium eſt, ſi contribulato ob. Dei offenſam ſpiritu, cor contritum atque humiliatum quis habeat.

ORATIO.

QVod manna Iſraelitis fuit (in quo non tantum famis remedium, ſed ciborum omnis generis ſaporem inuenerunt) hoc abundantius in fidelium oratione contineri, Dominus voluit; vt non ſolum malorum omnium remedium eſſet, ſed deſiderabilium, quorumcunque fundamentum. Peregrinantibus in terra cibus datus eſt, ne deſtituta robore corpora (quæ Paleſtinæ fructibus paſcenda erant) in via deficerent. Longius homo Dei proficiſcitur:& cum affectibus potius, quam corporis pedibus iter illud conficiendum ſit, minima ei eſt, de commodis corporis cura. Sapienter, permixta iſta temporalia bona Deus eſſe voluit ne ſi ſolis bonis iſta daret, propter hæc

Deum

Deum colendum eſſe putarent: rurſus ſi ea ſolis malis daret, infirmi conuerti timerent, ne iſta fortè illis deeſſent. Deum magna dare decet: hominem Dei, magna petere, non qualia petunt qui nondum crediderunt. Nam etſi terrena bona: nemo poſſideat, niſi ea à Deo acceperit, cum & malis ea ſæpè donet, non pro magno habenda ſunt, ſed ad id quod ſeruat bonis, cogitationes hominis Dei referendæ. Ex ijs quæ donat & malis, præſtantiam bonorum, quæ ſeruat bonis argue. Et tamen inter eos qui Chriſti diuitias ignorabant, inuentus eſt, cui parua viſa ſunt, & qui ea parui pendere nouerat. Comtempſit munifici regis (cuius cupiditati mundus vnus non erat ſatis) dona, Diogenes, hoc contentus, vt remoto pauliſper impedimento, liceret ei per regem, lumen ſolis aſpicere, quid feciſſet in Areopago viri philoſophia, quæ tantum potuit in cranio? non mirum, quod inter homines Dei reperti ſunt, qui primarias dignitates ſæpius oblatas, maiori ſollicitudine declinauere, quam ab humanæ gloriæ cupidis ambiri, moris eſt, qui ad conuiuium triſtes acceſſerunt, qui ſpretis carnis illecebris, & pecuniæ theſauris, omnia huius mundi bona veluti ſtercora arbitrati

ſunt, vt diuini luminis claritati ardentius, remotis impedimentis intenderent, ob conſcientiæ tranquillitatem ſumma mentis hilaritate à Deo donati. Si talia ſunt miſerorum ſolatia, quænam futura ſunt beatorum gaudia? apud homines res planè incerta eſt, vt orator aliquid obtineat. Durum ſæpè in principis palatio, ianitorem obuiū habet; & ſi cubiculi præfectus humanior eſt, verborum aulicorum blanditijs, tam ſuauiter nouit oratoris intentionem elicere, vt iuxta domini ſui regulas particulari caſui applicandas, orto ex tempore impedimento; vel non audiatur, vel admiſſus, præter verba plena humanitatis, nihil domum ſuam referat. Turbantur ſæpè homines atque anguſtiantur, dum aliquid ab eis petitur, non quia poſtulans inhumanus eſt, ſed quia neſcius inopiæ petit ab eo qui non habet vel quod parum habet, timet dare, ne minus habeat. Deus ſemper paratus eſt dare, ſi eſſet, qui vellet ſemper petere. Petenti dare vult; ne det non cupienti. Erubeſcat humana pigritia, plus paratus eſt dare, quam nos accipere; & ſi negare videtur, propitius negat, quod malè petitur, vel differt opportuno tempore profuturum. Quomodo enim qui nolentes inuitat
ad

ad diuitias gratiæ ſuæ , negaret eas poſtulantibus ? & qui benefecit nobis antequam eum quæreremus , clamantes non exaudiet ? benigno principi , inter homines populi multitudo moleſta ſæpè eſt , cui ſingillatim auſculanti tempus deeſt , ad iuuandos omnes ſecundum vota , facultas , ad diſcernenda merita perſpicacitas. A millibus ſimul rogatus Deus , moleſtiam non patitur , quos antequam loquantur intelligit , & antequam clament , audit. Cui perſpectum eſt , quid , ijs & quo tempore expediat , neque ei deeſt iuuandi poteſtas , neque voluntatis affectus. Qui liberaliter donando inopiam non metuit , neque ad audiendos ſupplices vlla tempora aut loca excludit , ſurrexit media nocte Dauid , neque dormientem inuenit : in ventre ceti Ionas , in lacu leonum Daniel ... protegentem experti ſunt. Non in multiloquio orationis vis ſita eſt , neque in petitionum varietate , cum deſiderium pauperum Deus exaudiat , & fruſtra multa petat , qui per multa ad vnum non tendit. Vnam petijt Dauid , non aliam Aquinas : ſufficit ambobus vnus , nam ſufficit omnibus vnus. Patrem nos docuit Chriſtus inuocare in cœlo , vt vileſcant in corde noſtro , omnia quæ habentur in terris.
 Pete

Pete à patre panem, an dabit tibi lapidem? pete ouum: an porriget ſcorpionem.? ſub terreni patris cura filius ſuauiter requieſcit: nam tantus parentum in filios amor eſt, vt vitæ illorum ſupereſſe nolint, ſed per mortem ſuam, illos ditari ſummopere deſiderent. Deus diligentes ſe plus optimis parentibus diligit, neque in hoc terreno patri diſſimilis eſſe voluit, vt per mortem ſuam filios ſuos ditaret. Compatere pro te mortuo, vt perpetuo adhæreas viuo. Fatere præſentis vitæ infœlicitatem & poſtula patris tui hereditatem.

PIETAS.

POſt debitum maieſtati diuinæ amorem & honorem (quæ in prima decalogi tabula præcipiuntur) proximum de honorandis parentibus præceptum datur, qui in productione hominum & conſeruatione, ad ſimilitudinem ſupremi, Dei in creaturas dominij, proximè accedunt. Horum cura & labore vitam protraximus, bonis moribus imbuti, ſcientjis ac bo- artibus exculti, & quod potiſſimum eſt cœleſtibus doctrinis inſtructi ſumus. Quam eximius ſit parentum erga prolem ſuam amor, ex hoc maniſeſtè

feſtè

feſtè apparet, quod parſimoniæ in bonorum ſuorum fruitione ſtudeant, vt filij ſuperſtites magis abundent. hoc vno contenti ſunt, vt familiæ nomen per eos ad poſteros tranſeat, ac fama à virtute maiorum deriuata, per ſucceſſiones aucta, nihil alieni ab ingenita nobilitate, ijs cogitaudi, ſtimulum iniiciat, Opulento genitori, ſi caput detegitur, voluntas ſubditur ferè ſatisfactum eſt. Per aduerſos huius vitæ caſus ad inopiam redacto, ſeu ob ſenectutis imbellicitatem deficienti filiorum pietas opportunè occurrit. cum duplici honore dignum, eadem (qua in proſpera fortuna vti conſueuerat) reuerentia atque hilaritate ſubleuat. Si in caſu miſerabili parentis, quicquam ſolatij filio eſſe poteſt, hoc vnicũ eſſe arbitror, quod pro innumeris à patre acceptis beneficijs, ſaltem minimum quid, valeat filij pietas grata rependere. Solum in quo à patre geniti ſumus patriam vocamus, in in quo conſanguinei cum ciuibus vnum corpus conſtituunt, quod inter diuiſas per orbem nationes, ſpecialem boni, vel mali nominis æſtimationem ſibi vendicat. Artium inuentores, belli duces, legiſlatores, viros cum paucis eruditione conferendos, ac vitæ ſanctitate conſpicuos, numerare qui-

libet de conciuibus ſuis gloriatur, ac ſummopere anhelat, per inſignem atque heroicam aliquam actionem, communem & glorioſam patriæ ſuæ famam amplificare. Meritò pro patria periculo vitam exponimus, in qua vitam hauſimus: nam quis periclitanti deeſſe, quis cadenti ſupereſſe cupiat? cum in maxima temporum tranquillitate, cuilibet ciuium, breui moriendum ſit, & fortiter pro patria decertanti, etiam aduerſo Marte, gloriæ bellicæ palma paretur. cecidiſti in prælio, & patria oppreſſa non eſt: illa lyturgi ſcalpro exprimet virtutis tuæ ſplendorem, quem poſteri admirari atque imitari ſtudeant. Actũ eſt de republica: & tu honeſte mori potius, quàm turpiter ſeruire elegiſti: hoſtes ipſi (quibus pugnantis fortis animi robur formidini fuit) cadentis infortunium lugebunt, cum per id ademptum illis ſit, poſſe ſæpius de viro magnanimo triumphare. Sed quid eſt, quod pro imperij dilatatione ac reipublicæ ſalute decios falſo numini ſe deuouere conſpicimus: Curtium in voraginem vltro præcipitem ferri? nos verò (quos fidei atque charitatis vinculum, arctius quam commune natale ſolum coniungit) fratres noſtros in ſeruitutem redigi, à

multitu-

multitudine hoſtium ſtrenuè pugnantes opprimi, Vrbes eorum ſuccendi, regiones deuaſtari, templa Dei ſacroſancta Paganorum ſuperſtitione prophanari patiamur, deplorandos huiuſmodi nuntios, veluti carmen muſicum auſculantes, ac ſi Chriſtianæ pietati, limites, natura, alpes, ac mare adriaticum conſtituiſſet? an melior Romanorum illorum conditio fuit, qui præter vanum mundi applauſum, ex oblata falſæ deitati victima, poſteris ſui nominis profuturum, nihil quicquam ſperabant, quam Chriſtianorum, qui pro veræ Diuinitatis honore ac fratrum ſalute, pericula mortis aggreſſi, vel victores cum gloria ad ſuos reuerti, vel occumbentes in prælio, immortalitatis corona donari confidunt? affinis paternæ prouidentię principis dignitas eſt: nihil enim à patre, bonus princeps differre videtur: cuius tanta eſt apud homines æſtimatio: vt in terra aliena imperantem reuereri ſoleant. Renuentium ſibi honorem deferre ſeu vectigal perſoluere, magna militum caterua ſtipatus temeritatem compeſcit, paratus ab ingratis filiis, illatas parentibus iniurias, cum ſeueritate vindicare. Gemunt miſeri parentes intra domeſticos parietes, filiorum impietatem, quam

quam tolerare ſtatuunt, ne ad tribunal principis deducta, dolori ſuo ignominiam pariat. Bis cruciari timent, facti proprij ſanguinis accuſatores, cum paterna viſcera nec reprobi quidem filij tormenta ſine ſummo mœrore ſuſtineant. Sapientes, principes vocat Apoſtolus: tam propinqua dignitati, ſapientia eſt. Deos tacitè appellat Chriſtus Dominus Apoſtolos, vt virtutis excellentiam demonſtraret. Diſcat qui eligendi moderatoris facultaté ſortitus eſt, pro ſapientiori ac meliori ſuffragium ferre. Cum ſublimioribus poteſtatibus omnem animam ſubditam eſſe oporteat: ſi quid alienum à diuinæ bonitatis ſimilitudine, in rectore tuo deprehenderis: relinque Deo, cauſæ delinquentis iudicium: tu ſequere non iniuſta præcipientis impetium.

OBEDIENTIA.

SIcuti naturali neceſſitate, omnia diuinæ motioni ſubdi neceſſe eſt: ità quadam iuſtitiæ neceſſitate, quæ liberum habent arbitrium diuino imperio parere tenentur. In naturalibus ſuperiora ad ſuas actiones, inferiora mouent, per excellentiam virtutis quam à Deo acceperunt. In rebus humanis, quæ primæ rationalium volunta-

luntatum regulæ, magis propinqua creaturæ voluntas eſt, ea remotiorem ex diuina ordinatione dirigit. Siue ſcriptam à Deo in cordibus hominum legem conſideres, ſiue datã per Angelum in manu mediatoris, digitus Dei eſt: nam qui docuit hominem in abſcondito cordis, doceri enm quoque voluit in templo, & qui leproſum virtute ſua ſanauit, mundatum ad Sacerdotes miſit, vt poſt miſericordiæ effectum, conſequeretur obedientiæ meritum, Non ſicut homini ſeruum obedire domino ſuo: ſed veluti Chriſto iubet Apoſtolus: vt diſcat filius in patre, miles in duce, dux in principe Deum venerari. Præparatum non ſinè terræ ſordibus corporis alimentum, cum deſiderio homo à Deo expectat: cur per os hominum ſalutaria præcipienti Deo non pareat? Iſraelitis regem poſtulantibus, deſpectum ſe in Samuele Deus conqueritur, qui audientes Prophetam protegebat. Tam cohærens diuinæ auctoritati legitimè imperantis poteſtas eſt. Homo per peccatum contrarius Deo factus eſt ac ſibi ſemetipſi grauis, qui cum probet meliora deteriora ſequitur, ſanctamque Dei ad propriam nititur pertrahere voluntatem. niſi placita ei fuerint, diuina mandata, tardus ea

exequi-

exequitur: & ſi propriæ inclinationi multum repugnent, audet inquirere cur ſic dominus præceperit. multiplicanti panem Chriſto domino præſto eſt, & coniunctam cum militiæ equeſtris honore crucem amplectitur. operis ſibi ab homine iniuncti, qui Dei auctoritate fungitur, iuſtitiam primo examinat, deinde præcipientis prudentiam, tunc promptè faciens alterius voluntatem, cùm quod iubetur arridet, & modus imperandi non diſplicet. Non aliter à ſuo rectore iuuari vult, niſi per media quæ nouerit tali fini ſecundum humanæ ſapientiæ regulas optimè congruere. ſerius homo Dei quod in præcepto diuino non intelligit, honorat, atque eadem animi compoſitione, de paterna Dei manu vel diuitias expectat, vel paupertatem, vel honorem, vel infamiam, vel vitam, vel mortem. Vt inmentum ſe coram Deo proſternit, paratus illam viam ingredi, quam dominus demonſtrauerit. Non quærit cur ſic faciat, ſed incomprehenſibili prouidentiæ cedit: non ſolum in ſcripturis præceptorum neceſſitatem didicit, ſed & conſiliorum vtilitatem. Veritatem iuramento non confirmat, vt à periurio facilius abſtineat. Percutienti alteram maxillam præbet, vt ab effun-

dendo

dendo humano ſanguine, innoxias manus ſeruet: propria ſua elargitur pauperibus, vt rem alienam ne concupiſcat quidem, multò minus occupet. Si in hominis imperio humanum quid animaduertit nomine Dei iubentis auctoritatem æſtimat. Quod cum paſſione aliqua ab homine præcipitur prudenter exequitur, non curat quid ſapientia humana dictauerit: ſed Deo ſe obedire, dum homini nihil contra legem Dei præcipienti paret; pro certo exiſtimat. Aquas Iordanis ad ſanandam lepram vtiles fore, ſi leproſum ſepties tangerent: vix aulico perſuaſum eſt, vt cum ſanitatis recuperandæ ſpe probaret. Philoſophi etiam octies intincti, præter corporis refrigerium, nihil ab aquis expectarent. confundere voluit Deus humanam ſapientiam, dum Naamam à lepra curatus eſt, per exhibitam homini Dei Eliſæo obedientiam. Audet Petrus annuente domino ſuper vndas aquarum ambulare audet, & Maurus iubente ſeruo, & non minus ſolida obedientiæ diſcipuli, quam charitati Apoſtoli in fluido elemento via à Deo ſtrata eſt. Vide quam acceptum ſit, Deo ſacrificium, in quo non caro aliena, ſed propriæ voluntatis victima mactatur. Ex tumultantium populorum

pulorum temeritate, ortæ calamitates docuerunt homines non poſſe rempublicam ſine principe ſubſiſtere. Cuius auctoritas apud ſapientiores reuerentiam: poteſtas apud plebeos timorem iam dudum obtinuit. ſpectabiles inter homines ſunt, qui diuites copijs plurimorum miſeriam ſubleuant: qui in rebus agendis exercitati, ſalubri conſilio in arduis negotijs reipublicæ ſuccurrunt atque illatas ei ab hoſtibus propulſant iniurias, corporis robori coniunctam habentes animi generoſitatem ac belli gerendi peritiam. Huiuſmodi viris populi multitudo ſponte plerunque tronum erexit, ſeu fraude circumuenta ac vi oppreſſa paruit. Quod verò ſublimior inferiori ſe ſubijceret, veluti ſi ſub aquis, aer, ac ſub aere ignis ſeſe collocaret, in cor hominis raro aſcendit, antequam inclinaret cœlos Deus, & deſcenderet. Diſce puluis, mandata hominum exequi, cum Dominum Angelorum currere vides, quo mittitur à fœmina, quo mittitur à fabro. Non ſolum patri ſuo ad mortem crucis, obediens factus eſt Homo Deus, ſed carnifici iubenti vt crucem ferret, vt clauis affigenda illi brachia extenderet. Quis ſpernere audeat impoſterum vilis hominis auctoritatem:
cum

cum viliſsimo parere conſpicit, ſupremam maieſtatem.

GRATITVDO.

TAm generalis eſt gratitudinis lex: vt in quibuſdambeſtijs impreſſam voluerit Deus inclinationem rependendi pro beneficio accepto beneficium: à quibus minima abundè compenſantibus, confundatur homo qui maiora recipit, ſi benefactori ſuo ingratum ſeſe oſtenderit. Ijs verò (quarum ſtoliditas ſeu feritas, naturæ ſcintillam offuſcat, cum culpa careant, priuatæ rationis lumine) deteriorem ſe fateri cogatur; ſi de beneficio gaudens, datoris obliuiſcitur, ſeu (quod execrabilius eſt) donis acceptis contra benefactorem ipſum pugnare præſumit. Conſidera intra domeſticos parietes canem, quid pro panis fruſtulo, domino ſuo retribuat, conſidera in ſilua leonem, quidpro accepto beneficio liberatori ſuo rependat. Viſi ſunt canes percutientem ſe dominum ſequi carceri mancipatum non deſerere, pugnantem cum feris defendere, occiſum, ne dilaniaretur ab auibus ac feris cuſtodire, oblatum ab alieno cibum domino ſuo iam mortuo apponere ac nolle ei ſuperſtitem viue-

re.

re, Ille qui ſpinam ex pede leonis elicuit, non meruit, vt in theatro ei leo blandiretur, veluti Chriſti martyri: cum reus criminis eſſet damnatus ad beſtias, voluit tamen Deus naturæ auctor: ne agnito benefactori ſuo beſtia noceret, qui princeps naturæ, ignotos feris Martyres, illæſos ſeruauit. Venator qui cum ſerpente periculosè pugnantem leonem liberauit, de naui poſt ſe animosè natantem conſpexit. Propoſuerat beſtia liberatori ſuo obſequium, quæ demerſa in maris fluctibus, poſteritati data eſt, in gratitudinis exemplum. Viperæ catulus moræ impatiens, cum matris dolore, imò nece ad hauriendam aurã properans, illorum hominum ſymbolum eſt, qui in beneficentiſsimos ſibi, crudelitatem exercent: & quæ cadentes de arbore ſubulci prouidentia, ſiliquas, mordentia ſeſe inuicem animalia, colligunt, pro terrenis mundi bonis diſceptantes homines deſignant: quibus tam immoderatus ineſt habendi amor: vt ad bonorum omnium datorem, oculos nunquam attollant. Ex grati animi affectu naſcitur, quidquid non debitum nobis confertur, æſtimatione dignum reputare, ſiue dono quis accipiat, ſiue mutuo, ſiue oris obſequium, ſiue operis,

operis, ab illo accipit, qui abſque iniuria & iniquitate negare poteſt, quod de iure non exigitur. Humanum eſt, ei ex cuius fonte bibis, & qui tibi elichnum fumigantem iterum accendit, gratias referre. ab hominum improbitate ortum eſt: vt ex charitate, & iuſtitia debita pauper non niſi ſupplex, à potentiori impetret. Ex bonis quæ neceſſitas communia facit; ſuum petit egenus, nec tollit iniuſtè ſi poſſeſſore neſcio ſiue inuito tollit. de ſuperfluis erogandis non tam clarum hominis iudicium eſt: vix enim humanæ cupiditati ſuperfluum quid eſſe videtur: & quod naturæ ſatis eſt, hoc à mundi ſectatoribus adinuentæ pompæ non ſufficiet. Videbis in foro ambulantem virum holoſerica veſte indutum, cuius crines odorifero puluere reſperſi ſunt, cum puluere illo focus eius careat, qui poſt cocta edulia materiæ comeſtibili ſupereſt. Adhunc ſi accedat mendicans pauper, mittitur ad Deum diuitem à verecundo egeno: qui cum ſibi ac mundo ſatisfacere nequeat, vento mundanæ gloriæ paſcitur, ſed ventre ieiunat. niſi homo Dei, reſultantem ex faſtu mundano, in proprios vſus omnia conuertendi neceſſitatem, veluti nodum gordium vnico ictu diſſoluerit,

chari-

charitatis officium ad extrema neceſſitate laborantes reducitur; & continget inedia tabeſcentem, quia ſerius cibatus eſt, ſepulturæ honorem adipiſci. Incidimus in tempora, vt ei qui domum noſtram inhabitat, vineam incolit, gratias agamus, ſi ſtatutum per tabellionis inſtrumentum, commoditatis acceptæ pretium, non citatus perſoluat. Inuentorem rei noſtræ amiſſæ, promiſſo munuſculo allicimus, quia paupertatem eius ſeu iniquitatem metuimus: ſed fruſtra iudicem deprecamur, vt cauſæ noſtræ faueat, qui vultum potentis reſpicere, & pauperis miſereri prohibetur, ne à via iuſtitiæ aberret. Quis enim nudis precibus emollire valeat illud pectus, quod à paupere effuſa lachrymarum vis non expugnat, neque per minas potentum, incuſſus terror deiicit. Si dicis te, negotio tuo magis attentum ſolum cupere: hoc ipſum fortè eſt, partis aduerſæ ſollicitudinem gerere, cum maturius examinatis hinc inde rationibus, cauſæ tuæ iniuſtitia detegitur. Eum (cui ex licito contractu cenſum perſoluimus) inter beneficos reponimus, nec fœneratorem, quolibet tempore promptum cum vſura pecunias commodare, planè reſpuimus: qui etſi

illicitè

illicitè accipiat, quod licitè neceſſitate coacti, nos ei pollicemur, vtilis nobis factus eſt, cum maioris damni occaſionem à nobis auerterit. Si qui ſunt inter homines, qui non remuneraturis beneficia præſtant, pauci erunt qui gratitudinis affectum ſaltem in recipiente non requirant deprehenſa ingratitudo puniri ab hominibus ſolet non ſanari. Et ſi mitiores, ingratis non noceant, fortè non parum damni ijs afferunt, ſi à benefaciendo deſiſtant. Pone te non euitaturum malignantium cenſuras, ſiue pro bono publico ſollicitus ſis, ſiue priuatis multorum ſtudeas commodis: ſanè ſemper vtilis & fructuoſa virtus eſt. & ſi cuiuſlibet virtutis honeſtas, operantem dulcedine ſua perfundit, munificentiæ proprium eſt, hominem homini ſuperiorem ac Deo ſimilem (qui dat, & non accipit) efficere. Nemo niſi vilis, corporis delicias principi inuidet. expetenda res eſt, poſſe ſapientiſſimorum virorum frui conſortio. Typi beneficio etiam priuatis prouiſum eſt, vt præſentes veluti habeant plurium ſæculorum viros de ſcientijs optimè meritos. Laudabile valde in principe eſt, quod Deum timeat: iucundum quod neminem hominum timeat, nec contumelijs expoſitus

ſit

ſit, vt periculum ei immineat aliquid contra virtutem ſeu dignitatis decorem operandi. non timent Chriſtiani principis, ſubditi, corporis vexationem, ac bonorum iacturam; modò de vitæ innocentia non eis deſit rectæ conſcientiæ teſtimonium. Id quod in proſpera principis fortuna, maximè appetitur, eſt, poſſe eum innumerabili ferè hominum multitudini (etiamſi ſingillatim poſtulent) benefaciendo ſatisfacere. qui in conferendo tibi beneficio alienum à proprijs commodis habuerit animum, vel ſanguine tibi coniungitur, vel à principe didicit. Fortè ideo beneficijs quæ à patre accepimus nemo dignè reſpondet, quia ab amoris puritate profecta, inæſtimabile apud homines pretium meruere. ſicuti ad generoſitatem animi pertinet, obſequio tuo deuincti munus oblatum reſpuere; ita non decet, gratitudinis affectum ſpernere. Qui beneficij memor ad benefactorem ſuum reuertitur, virtutis decore præfulgens nouo dignum ſe præbet obſequio. Friuola ſunt hominum beneficia ſi cum immenſis Dei donis, humano generi collatis comparentur. Siuè datoris excellentiam ſpectes, ſiue recipientis indignitatem: neque vile neque parum quic-

quicquam, eſt, quod ex infiniti amoris fonte proficiſcitur. Terram homini Deus dedit, cœlum præparauit, & quicquid ſpecioſi in natura eſt, quicquid in ſtatu gratiæ admirabilis, totum in vtilitatem hominis cedit. Parum immenſæ Dei bonitati viſum eſt, dediſſe omnia homini niſi ſeipſum daret, atque in mortem daret, ob notas ignominiæ ac doloris acerbitatem, qualibet hominum calamitate atrociorem. Et quidem, qui tam crudeliter, in ſanguinem innocentem populus ſæuijt, hominis pro vniuerſo genere humano patientis diuinitatem ignorauit. Nos autem poſtquam tam inæffabilia ſumus beneficia conſecuti vt in ſacra Chriſti humanitate virtutis exemplum, in ſempiterna diuinitate languorum remedium, firmiter credentes amplectamur: audemus corporis viribus, ſanitate diuitijs intellectu, ac cæteris à diuina liberalitate acceptis bonis contra ſupremum noſtrum benefactorem pugnare: qui poſt tot beneficia ingratos, iteratis beneficijs ſanare exoptat, nunc deterrens gehennæ metu, nunc magnitudine præmij alliciens, etſi non minus fœlix, ſi luat impius ſcelerum ſuorum pœnas, quam ſi reuocatus à via iniquitatis, pœnitentiæ lachrymis, ma-

culas erroris, diluat. Qui homini gratitudinis debitum perſoluit, oblato benefactori munere, internum animi ſui affectum demonſtrare nititur, ſine quo fallax gratitudo eſt. Quis Deo rerũ omnium domino quicquam non ſuum retribuat? cuius nouum donum eſt, ſi grati animi affectum quis acceperit. Vide quam miſericors eſt, vt dona ſua merita noſtra faciat. Non mirum quod homo Dei ob proximi ingratitudinem à bene faciendo non *deſiſtat*, qui tanta, ingratus, beneficia à Deo ſe accepiſſe agnoſcit. Accidit euacuari mundi theſauros, imo fontes aquarum, hauriente populi multitudine, & redeunte ſæpius ad hauriendum. Tunc ſolum veluti ſiccata vena, ſiſtit ſeſe miſericordiæ Dei fons, cum non eſt, qui cum gratitudine, iterum hauſturus redeat. Qui remuneraturo beneficium præſtat, mercedem, ſui operis adeptus eſt. Pura operantis intentio eſt, qui ob Dei amorem etiam ingratis beneficium præſtat. Quam vtile ſibi negotium conficit, qui operis ſui remuneratorem Deum expectat: apud quem, ſicut nullum peccatum impunitum erit, etſi ſolus homo damnum patitur: Ita nullum virtutis opus mercede ſua carebit etiam ſi ſolus homo beneficio potiatur.

POENI-

POENITENTIA.

QVicquid è nihilo creatum eſt ; ad nihilum ſuum reuertitur, ſi bonitas creatoris conſeruatricem illi manum ſubtraxerit. Multiplici dono creatura rationalis exornatur, dum in naturæ ſuperaddita iuſtitia perſeuerat: vel ſi à ſtatu innocentiæ deciderit, Deo miſerente, reſtauranda reſurgat. Non alia ſalutis, quam virtutis via eſt, cum fœlix eſſe nemo queat, niſi in iuſtitia permanſerit, vel amiſſam cum pœnitentiæ fructu luxerit. Quantum refert quid Spiritus Angelici à mundi initio elegerint, cum quod ſemel placuit, ei immobiliter natura angelica adhæreat. Bene bonis ceſſit quibus æternitatis gaudium peperit, deſertores, temere diuinitatis ſimilitudinem appetiernnt, & merito calamitatem incurrerunt. Gehenna diabolo parata eſt, vt torqueretur : homini monſtrata, vt corrigeretur. Exilij amaritudo memorem illum facit, vndè exciderit, æterni ſupplicij metus cautum, vt pericula fugiat, & ſollicitum, vt malo ſuo remedium quærat. Si poſt fidem gehennæ tot mala fiunt : quis finis ſi gehennam Deus non fuiſſet minatus ? cauet homo ab eo

quod legibus aduerſatur, ſi probabiliter timeat, ad iudicis notitiam peruenturum. Remotis arbitris, ſi deliquerit: eludit inquirentis auctoritatem. Non deſperat deprehenſus in crimine, poſſe iudicem fraude circumueniri, minis terreri, precibus flecti, muneribus placari. Conſiderare Deum actiones hominum & curare, etſi minimæ videantur: de verbo otioſo in Dei iudicio exacta ratio, & calicis aquæ frigidæ remuneratio manifeſtat. Magis tibi Deus, quam tu ipſe tibi præſens eſt. Deſiſtis à peccando cum neminem vides, ſed videri te ſuſpicaris, & multò magis, ſi videri te videris. Certius per fidem cognoſcis, quam quod corporis oculis cernis. Audebiſne præſente Deo, quod præſente homine erubeſceres? interroga conſcientiam tuam, & ſi in illa prauitatem inueneris, fatere, notam Deo eſſe, ne ſuperaddas malitiæ tuæ infidelitatem. Quam bonitatem vniuerſæ creaturæ reuerentur, tu ſolus homunculus audes offendere, & quidem cum tanta facilitate, vt ex ligno & lapide conflatos Deos ſuos gentilis magis timeat. Iniquitas omnis parua magnaue ſit puniatur neceſſe eſt, aut ab ipſo homine pœnitente, aut à Deo vindicante. Vis non puniat

Deus

Deus: puni tu, nam illud feciſti quod impunitum eſſe non poteſt. Noli exterius pecus quod mactes quærere: habes in te quod occidas. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Illæ lachrymæ viſcera commouent diuinæ pietatis, quas & peccati dolor ac virtutis amor effundit. Fugere non potes iratum tibi Deum, confugere potes ad placatum. Hodie hortatur te ne iudicet te. Qui iudex eſſe poteſt, aduocatus eſſe vult, & qui benignus te ſuſtinet, ſententiæ executionem auertit. ſi quid è rebus tuis pretioſi amiſeris, etſi multum doleas nil per dolorem recuperas. Solus peccati dolor tam efficax eſt: vt diuinam, quam amiſit, homini gratiam reſtituat, qua inter animæ bona nullum eſt præſtantius, nullum in hac vita deſiderabilius. & quidem magnus in domo luctus eſt, cum anima cuiuſquam nobis ſanguine vel amicitia coniuncti à corpore receſſit. Pluſquam vnigenitum perdidit, qui Deum animæ ſuæ ſponſum amiſit. Dum triſtatur Chriſtianus duas tantũ habet mœroris cauſas, vel cum ab ipſo, vel cum à proximo Deus offenditur. Tolle peccatum & dulceſcunt lapides, ignis veluti ros refrigerat, feræ manſueſ-
 cunt,

cunt. Nemo niſi à ſeipſo læditur: cæteræ huius vitæ ærumnæ, virtuti ſeruiunt: dum patienter toleratæ, vel voluntariè aſſumptæ pœnitentem purgant, proficientem perficiunt. Vix homo peccanti veniã concedit & poſt veniam peccanti non parcit. Semel militi impunè peccare non licet: propitius ciui princeps, ſemel peccantem diſſimulat, cum aperta ſemper pœnitenti ſit miſericordiæ Dei ianua; etſi ſeptuagies peccauerit. Quod de audientibus vocem domini & cor non obdurantibus, intelligi Deus voluit: hoc in vitijs ſuis permanentes improbi perperam ad vitæ ſuæ licentiam pertrahunt. Indulgentiam Deus conuerſioni peccatoris promiſit: ſed pœnitentiæ dilationi diem craſtinum non promiſit. Pœnitentia ipſa neminem ſecurum reddit, ſed cautum: nam quantumlibet iuſtè quis viuat: væ illi ſi cum illo in iudicium Deus intrauerit. quod pœnitentia non præſtat, neque vitæ innocentia, hoc ſibi tam ſupina pollicebitur ſalutis æternæ negligentia? vix in ſenio huiuſmodi homines reſipiſcunt, & fœces vitæ ſuæ Chriſto offerunt. Tunc ad illum ſeſe conuertunt, cum ab illis mundus ſeſe auertit, qui viribus atque ingenio deſtitutos contemnit, niſi facultatibus abunda-

abundauerint, ac munerum. largitate, ſenectutis defectus texerint. Non in peccandi libidine obſtinatis dictum eſt, perituros ſimul omnes niſi pœnitentiam egiſſent, ſed de ſalute ſua ſollicitis qui; relictis omnibus Chriſtum ſequebantur. Mirum quod qui omnia fermè concupiſcimus, pauca pro Chriſto relinquimus, de longè ſequimur, tam facilem nobis ad cœlum viam ſternimus.

LIBERALITAS.

IN copioſis pecudũ gregibus diuitias ſuas potiſſimum antiqui collocarunt: quod per eos huius vitæ neceſſitatibus ex maxima parte proſpectum eſſet, cum ſitis lacte expleri fames carnibus depelli, nuditas lana ac pellibus tegi potuerit. optime de republica meritus eſt: qui æs rude pecudum nota ſignauit, quod inde pecunia dictũ, nunc principum imagine decoratum rerum omnium, quæ in vſum veniunt, diſpoſitioni aptiſſimum eſt. hinc laboris omnis atque induſtriæ humanæ terminus pecunia eſt: qua acquiſita beatum ſe vnuſquiſque exiſtimat, ſeu beatitudini proximum. Ad corporis delicias ad mundi honores atque imperij poteſtatem vtilis eſt, in quibus vitæ huius fœlicitatem,

plerique ab inani mundi figura decepti, ſitam eſſe aſſeuerant. Non capiunt hi agricolam, ſpoſt laborem, mellis dulcedinem ex allio haurire: vnde ad obſonium non ſine magnis ſumptibus præparatum, varij ſaporis intinctus adhibent, ex remotis mundi partibus apponi iubent epulas, nec terræ fructus peregrina appetentes recreant niſi volucres cœli ac piſces maris, varietate ſua præſentium faſtidium auertant. ex ſeruorum ac militū caterua principis ſui præſentiam vulgus arguit, nec poteſtatem timet prætoris, niſi lictorum turba cinctus appareat. Qui abſque iure hereditatis ad imperij poteſtatem aſpirat, magnæ pecuniæ theſauro indiget, vt regno potiatur, & vt tueatur acquiſitum. per ſapientiam ad honoris gradus facile aſcenditur: maximè vbi numquam in principem niſi ſapiens, à ſapientibus eligitur: & tamen ſine pecunia ſapientum volumina comparari nequeunt, nec eſt qui interpretetur verborum obſcuritatem, ſi nouerit literarum ſtudioſi paupertatem. Nullius opera principes vtuntur libentius, quam qui claris ortus natalibus, tot habet virtutis ſtimulos quot celebres, ob res præclarè geſtas numerat auos. Pone ſine pecunia nobilitatem a patre ad filium deriuatam

fuiſſe, fortè poſt peccati fœditatem ſimilem nemo vidit calamitatem. Propinqui conſanguineum negant, vel erubeſcunt; quorum ſerui in ſordido habitu apparentem deſpiciunt; exteri videntes familiæ nomini non reſpondere fortunam, vel ſpurium dicent, vel prodigum. Fodere non valet miſer ob corporis imbecillitatem, mendicare erubeſcit, qui largiri auos ſuos conſueuiſſe didicit. Ad miniſterium nobili viro dignum, in aula principis ignotus non admittitur, vilitatem conſimilis veſtitus abhorret. Sic ludit in humanis rebus æterna ſapientia. Is qui inutilis videbatur ob fortunæ tenuitatem, à Dei prouidentia deſtinatur ad reprimendam Paganorum feritatem, ſeu cuius nobilitas contempta fuit quia pecunia caruit, ad cœtum religioſorum benignè admittitur, in quo voluntaria paupertas nobiliorem facit, & nobilitas virtuti decorem addit, cum non tam facilè generoſus animus peccati turpitudini ſuccumbat. quia ſerius homo Dei non ſolum pecuniã contemnit, ſed quicquid pecunia æſtimari ſolet: forſan ideo ad ſublimes honorum gradus uon aſſumitur ne pecunia egere incipiat, qua dignitati debitum ſplendorem addere valeat. Qui ſalubre conſilium accepit

vt caduca mundi bona à ſe abdicando deſpiciat, huic præceptum datum eſt vt ijs quæ licitè poſſidet, cor non apponat, ſed inter auaritiæ ac prodigalitatis ſcopulos conſtanti animo ſit, non defuturum ſe ijs, quibus dare decet, nec daturum vbi ſibi ac proximo noceat. Ideo Deus diuitiarum ſuperabundantiam aliquibus dedit: vt meritum bonæ diſpenſationis acquirant: poterat enim ſicuti & diuiti, ita & pauperi dare, ſed noluit huius ſine merito paupertatem facere illius ſine fructu diuitias. Etiam qui mediocris fortunæ eſt, diuitem ſe experietur ſi non niſi neceſſaria teneat, nam ſi inania quærit, nihil ſufficiet. Magni roboris indicium eſt, ſi quis ſagittam longiſſimè à ſe iaculatus fuerit; ſic qui extraneos donis ſuis honorauerit. Non ſolum Paganus, ſed & beſtia ſibi ac ſuis proſpicere nouit. Homo Dei humanitatem barbaris, atque amorem ijs qui eum oderunt, exhibere ſtudet. ſi frumenta domi concluſa tenent agricolæ, in eſca vermium illa amittent, ſic diuitiæ ſenſibiles dominis ſuis multorum periculorum cauſæ ſunt, vel latronibus parietes effringentibus, vel famulis ſurripientibus. Quid refert an vermis tibi pauperiem faciat, ſeu homo inimicus ſubſtantiam tuam deuoret?

uoret? qui ſementem iacit, non plura aliter cogere poteſt, niſi bona ſua ſpargat, & quæ habet effundat: ſic opes diſtributæ hominis ſubſtantiam augent, cuſtoditæ nec ſibi neque alteri proſunt. audet homo peccando legem Dei conculcare, & nouam ſibi veluti diuinitatem ſtatuere cui ſeruiat. Sane viliori ſeruitio mancipatus eſt, qui pecuniæ ſubditur quam qui dominandi cauſa, ius violauit, ſeu corporum pulchritudinis amore captus eſt. Superbus hominibus imperat, quibus luxurioſus obtemperat, ſiue complacet: inanimato metallo auarus ſubiicitur quod nec vigilanti ſecuritatem, nec dormienti quietem permittit. Eadem prodigo atque auaro paupertas in pœnam data eſt: ille neceſſitate premitur quia ſubſtantiam ſuam prodigit, hic quia pecuniam ſuam abſcondit: & qui per totam fermè vitam, corradendo aurum, laborauit vt miſeriam declinaret, tunc maximè miſer eſt, dum more dominorum de eo diſponere non audet: ſed veluti ſeruus cuſtos ei aſſiſtit, ne fures illud effodiant. Si quis eſt qui ſe perdere exiſtimat, dum bona ſua ad proximi ſolatium effundendo diſperdit: paratus eſt Chriſtus ea depoſita illi ſeruare nec tantum ſeruare, ſed & multiplica-

re, & cum multo fœnore reddere.? Qui facultatem tibi dedit, vt poſſis, virtutem vt velis, non ſolum inſpector magnificentiæ tuæ eſſe dignatur, ſed fideiuſſor. An parum tibi videtur vt pro vno quod tuum non eſt, cum à diuina liberalitate id acceperis; centuplum recipias, quod Dei miſericordia tuum facit?

FORTITVDO.

CVm nemo ſit qui non magis fugiat dolorem quam appetat voluptatem; virtutis ſectatoribus, inimicos mortales aduerſarius noſter ſuſcitauit, qui eos dolorum metu & periculorum quæ ducunt ad mortem à via veritatis & iuſtitiæ abducant. Nihil inter omnia alia vitæ bona, magis homo quam ipſam vitam amat; nihil magis quam mortem odit, & præcipuè ſi cum corporalium tormentorum doloribus coniunctam, potens quiſpiam illi minitatus fuerit. Prudenter homo Dei præmeditari pericula ſolet, quæ ei in via virtutis imminent: vt rerum difficilium impulſum, vel firmiter toleret, cohibendo timorem, vel moderate aggrediatur, quando exterminari eas oportet ad ſecuritatem impoſterum habendam.

quo

quo grauius impellens eſt, vt cedat vel retrocedat, eò maiori laude dignus eſt, ſi firmiter ſteterit. magna ſemper fuit in republica illorum hominum æſtimatio, qui hoſtes libertati eius inſidiantes, tam generoſè aggreſſi ſunt, vt ſaluti propriæ impoſterum conſulere cogerentur, qui decreuerant imperij ſui fines dilatare. Clariores militari gloria merito habiti ſunt, qui fortiter pro religione dimicantes, ſic temporalium bonorum damna à fratribus ſuis auerterunt, vt per ſidei puritatem, liceret eis ad æternitatis fœlicitatem aſpirare. Ad peritos ad vſum belli, ad corporis roborc præſtantes & liberos à familiæ curis tota pertinere videretur fortitudinis laus, niſi in ſuſtinendis mortis periculis, magis, quam in repellendis, virtus animi fortis clarior appareret. Sanè tutori loco conſtitutus eſt, qui in acie, ancipiti Marte pugnat, quam qui in particulari impugnatione gladij imminentis minas, immobiliter ſuſtinet, vt à iuſtitia non recedat. Sancti aduerſus peccatum dimicantes, victores euaſerunt, non ferro, ſed fortitudine ac patientia armati. Quid mirum ſi Machabæi fortiter pugnantes hoſtiũ exercitus proſtrauerunt: cum ſub Deo duce repertus ſit, qni vicit fugiens,

giens qui triumphauit moriens. Minus periculum charitas hominis Dei aggreditur, ſi fratrem epidimiæ lue infectum viſitat, quam caſtitas Ioſeph paſſa eſt, dum turpiter decumbentem domini ſui coiugem declinabat. Non defuit adoleſcenti animus, vt pro virtute conſeruanda mortem elegiret pro qua tam patienter ſuſtinuit carcerem; ſed in quibuſdam, pium, Deus remunerat deſiderium, vt corporaliter liberati potentiam diuinæ protectionis annuntient ad confuſionem infidelitatis; alios ſpiritualiter liberatos impiorum poteſtati relinquit, vt fortitudinis exemplum, fidelibus imitandum proponat. Præclarum Chriſtianæ pietatis opus eſt, per periculoſæ nauigationis itinera, pro lucro animarum ſuſcepta, ad æternæ tranquillitatis portum properare. Et ſi hi gladijs impiorum non occumbant, quod tamen in agone martyrij præcipuum eſt, promptæ voluntatis ſacrificium Deo offerunt: Eſt qui manifeſto mortis periculo, in virtutis curſu non ſe exponit, ſed iniquorum oblocutiones, murmurationes, detractiones, conuitia, opprobria, contumelias æquanimiter pro Chriſti amore tolerat, fortè ſi huic electionem des, celeri morte perire malit, quam vitæ præſen-

præſentis calamitatibus vndique refertæ anguſtias per annos plurimos ſuſtinere. credibile non eſt, pro Chriſti fide animam ſuam daturum, qui pro eius amore ſubſtantiam pauperi negat: & triumphaturum de monſtris Africanis qui vincitur quotidiè à brutis domeſticis. Quomodo offerat carnifici præcidendum caput, qui percutiendam à furioſo, retrahit maxillam. Modò vſque ad ſanguinem non reſiſtimus: ſaltem vbi periculum vitæ corporali non imminet, paratos vitæ animæ laqueos, declinemus, atque aduerſus peccatum generosè dimicemus.

MAGNANIMITAS.

QVod pro diuino oraculo olim antiquitas venerata eſt, ſapientis dictum (noſce teipſum) non ſolum ad corporis vilitatem homo Dei refert, ſed & ad animæ dignitatem. Idem hominum & iumentorum interitus eſt, Si corporis reſolutionem ſpectaueris, quod in pleriſque animantibus robore, ac ſenſuum vigore hominem, longè antecellit. Vbi natura beſtiam homini terribilem facit: ars humana manſuetam reddit, ſeu captiuam, cum diminuto imperio ſuppleat

pleat ingenium. quam congruũ rationi eſt: vt qui ab inferiori obedientiam poſtulat, ſuperiori pareat. Et tamen qui leones domuit, Pantheras in caueas incluſit, poſt carnem ſuam abire viſus eſt, atque à Deo recedere, factus domini ſui rebellis, ac ſerui ſui ſubditus. Raro ſic vileſcit humana dignitas, vt inter peccatorum ſordes filius egenus diuitiarum patris ſui non meminerit. t E matris memoria ſi filiolus patiens exciderit: neglecto Deus adiutor eſt qui magis hominem amat quem ſine labore creauit, quam mater filium quem cum dolore peperit. Merito de proprijs viribus peccator diffidit, qui ſibi relictus tam turpiter offendit. homo Dei ex fratris ſui lapſu, ſe protectionis diuinæ gratia, ſtare, didicit. Quid enim ab homine expectes, qui ex puluere compoſitus, facile à mundanæ proſperitatis vento rapitur, vel ab aqua tribulationis, quæ impatientem grauat, ſordidus deiicitur. Speciosam vniuerſi machinam ex nihilo creaturarum Dei potentia eduxit: cur qui tam admirabilia ſolus facit, magna tecum, vel tu cum ipſo non facias. Hic iacit ſemina magnanimitatis, humana infirmitas, hic miſer fiduciam concipit. Deus paruulum ducit, nec deſerit diffidentem de-

pro-

proprio nihilo, & confidentem in ſolo patris auxilio. Cum infirmatur homo Dei, tunc potens eſt, & cum ſe nihil eſſe ac nihil poſſe fatetur: tunc omnia poteſt, quia omnipotenti coniungitur. Etſi minimus in regno Dei ſit quolibet mundi magnate maior: error vulgi eſt, non velle ad maiora aſpirare. Qui paucis huius mundi bonis contentus eſt, quibus vitæ neceſſitatibus ſubuenit, voluptati modum imponit, ideo laudem meretur quia remotis obſtaculis, liberius Deo vacans domini ſui veſtigia ſequitur. infructuoſa paupertas eſt, quæ aliud præter Chriſtum quærit. Inter extrema vitiorum, limitata virtutis honeſtas eſt, quam qui pertranſierit, non minus læua dexteram periculoſam inueniet, Charitati alius modus non imponitur, niſi vt ſine modo Deum quis diligat. ſicuti ad enarrandam Dei gloriam, non ſufficit diſerti oratoris eloquentia, quia omni laude maior eſt; ita in amando Deo deficit humani cordis anguſtia, cum ſit quolibet amore dignior. quam ſimilitudinem veluti naturæ ſuæ debitam, temerè Angelus appetiit: hanc à Dei liberalitate vltro oblatam, homo Dei periculoſè negligit. non ſemper ſanguine illuſtrior, eſt principi ſuo

charior

charior, cum fundata per propriæ vi tutis meritum. Nobilitas gratior ſæp fit[f], quam quæ ab indigno herede ad oſtentationem profertnr in lucem, clarorũ virorum ſeries. Non mirũ quod Deorum cultum plerique ambiuerint cum turpium facinorum, nota infa. mes. gentilitas ſæpe venerata ſit, ſed quod ſe natura Angelum quis dixit, vel veræ deitatis honorem affectauit, ab inſania profectum eſſe videtur, niſi fortè ad tantam celſitudinem humana ſuperbia pertingat, vt non modo oculos, ſed & captum multorum effugiat. In via virtutis licitum homini eſt Choros Angelorum tranſcendere atque ad Dei ſimilitudinem per amoris vnionem aſpirare. apud homines odioſum ſe facit, qui ſuper omnes alios extollere ſe nititur: vocatus ad imperium glorioſe aſcendit. Homo Dei ad vitæ perfectionem benignè à Deo inuitatus non tam curat, alijs virtutis gloria antecellere, quam Deo ſeruitutem ſuam arctiori charitatis vinculo conſecrare, neque timet ſuperbiæ tumorem, cum ſpiritualis ædificij ſui celſitudinem fundamenti profunditas ſuſtineat. Nemo charitatis augmentum recipit, niſi in humilitate proficiat, qui gratiæ diuinæ donis à Deo ditatus eſt,

magnum

magnum in vaſe fictili theſaurum ſe portare meminit. onuſtæ pretioſa principis ſupellectile beſtiæ, viles tamen ſunt, etſi inſtrato, auro deſuper contexto, fulgeant: ſic qui ad diuitias gratiæ Dei admiſſi ſunt, non ſolum à pulueris ſui vilitate fœdantur: ſed facile inter vitæ huius varietates, aliquid committunt, quod oculis Dei (qui in Angelis ſuis reperit prauitatem) diſpliceat. A parentibus ad filios, facilis modo regni tranſitus fit. præteriere tempora illa, quibus à populo ad regnum etiam de vulgo quiſpiam aſſumebatur. multo ſanguine comparatum, Cæſar, imperij onus adeptus eſt, quod modico oleo vncto Sauli, iubente Deo Samuel impoſuit. Etſi leonem interfeceris & vrſum, gigantemque proſtraueris; non ſperes regis affinitatem, ſi noueris conditionis tuæ vilitatem. Quod illis temporibus viſibiliter factum eſt, inuiſibili modo nouiſſimis temporibus diuina prouidentia operatur: vt dum quis circa mundi huius bona occupatus, veluti aſinas quærit, ad regni cœleſtis coronam vocetur; & cum greges ouium paſcit cum filia regis, nuptiarum ſpem concipiat. Iuxta mare Galileæ ambulans Ieſus, vidit duos fratres mittentes rete in mare, & piſcatores

catores hominum fecit. Alios duos fratres reficientes retia vocauit & ſecuti ſunt : illi retia reliquerunt, hi cum retibus & patrem. omnes licito operi intenti, ob temporalis lucri ſpem fatigabantur, & ad æternitatis gloriam ſuauiter diſponebantur. Periculoſe telonei negotijs implicatum Mathæum vidit Dominus & vocauit; ille vocantem non ſolum ſecutus eſt, ſed lauto cum diſcipulis excepit conuiuio, à quo neminem peccatorem excluſit, qui receperat hoſpitio mundi Saluatorem. Zachæus Dominum videre cupiebat, quem ſtatura puſillum turba præpediebat. Antequam ad videndum Dominum, arborem aſcenderet, iam Deus de cœlo ad liberandum peccatorem deſcenderat, & publicanum puſillum ad gratiæ ſuæ ſublimitatem inuitauerat. Qui tanta hominibus beneficia, præſtitit, mortalitatē exuit miſericordiæ memor eſt. Placidus innocenter ceruum inſequitur, & taurum ei Dominus præparat. Non ſine zelo culpabili, Saulus Chriſti fideles perſequitur, & luce ſolis priuatur, vt lumen Euangelij mentem eius facilius illuſtret. Ille tormentum ignis patienter tolerando, martyrij gloria illuſtrior factus eſt, quam cum militiæ præfectus hoſtes imperij debel-

debellaret: hic quæſitos ad necem fratres, cœleſti doctrina imbuit, atq; Apoſtolicæ dignitati, glorioſam fidei confeſſionem, ſanguinis proprij effuſione confirmatam, coniungit. Inter eos qui magnalia Dei non viderunt, ſed audientes crediderunt, quam plurimi de vana conuerſatione ad Chriſtum conuerſi ſunt, nihil tale cogitantes; imo dum per legem Dei vetitæ rei ſollicite intenti, vindictam ſibi thethesaurizabant, miſericordiæ obſtaculum texebant. qui primum per illicita diffluentes, nunc à licitis etiam voluptatibus abſtinere ſtudent, & corpus deditum delicijs dolore coercent. Si aliena rapuerunt, quadruplum reddere parati ſunt, & propria ſua pauperibus erogare. Magna aggredi pro Dei honore audent, & magno honore digna. ad toleranda quælibet aduerſa promptiſſimi ſunt, etſi mors cum varijs corporis cruciatibus pro Dei honore ſubeunda foret. Probatio dilectionis exhibitio eſt operis. Et vbi opus poſſibile quidem eſt, ſed remotum ab eo quod in præſentiarum valeas: non ſpernit Deus piam voluntatem, ſi operantem videt iuxta viriũ ſuarum facultatem. Dicis te pro Dei honore non dubitanter omnia bona externa contempturum; exaudi pau-

perum

perum ſuſpiria lachrymis interrupta; ſi non audis tyrannorum minas-eſt qui propter Dei offenſam, atque Eccleſiaſticam cenſuram duellum ſe recuſare affirmat, quod ex ignauia profectum homines exiſtimant, niſi timorata eius conſcientia in omnibus quæ ad Dei famulatum pertinent, ſuſpicionem abiecti animi diluat. Nam ſi in alio genere deliquerit, fateri cogitur ſe magis timere eccleſiaſticam cenſuram quam gehennam diabolo paratam; atque adinuentam fuiſſe ab animi ſui vilitate excuſationem, quam alioqui ab homine Dei allatam, militari gloriæ non repugnantem, Vir prudens iudicabit. tam acceptum eſt diuinæ maieſtati, pium hominis deſiderium, vt ſecundum vires operantis, munus de re impoſſibili oblatum, non deſpiciat. Quid miramur Auguſtinum pro Dei amore ad ſubleuandam pauperum miſeriam, vaſa ſacra fregiſſe, qui paratus erat Deo à ſe dilecto, offerre diuinitatem? ex abundantia amoris, prolata verba ſunt quorum efficaciam alia obſequia (quæ in eius poteſtate erant) fideliter Deo præſtita probarunt. Væ tempori illi dixit Auguſtinus, quando Deum non amauit, ſerò ſe incepiſſe doluit, atque ab amando deinceps non ceſſauit. Magnanimitati

conter-

contermina magnificentia eſt: nam ad quædam opera magno honore digna impenſæ grauiores neceſſariæ ſunt. Hinc fortunæ bona magnanimis viris adminiculo veniunt ob quæ vulgus exterioris apparentiæ admiratiuũ hominem Dei magis honorare ſolet, & ſapientes animi eius generoſitatem in contẽnendis diuitijs exaltare. Magnificentia principes maximè decet, quos opibus abundantes & magnanimos ad ſumptus amplos faciendos, diuina prouidentia reipublicæ deſtinauit. In pleriſque virtutibus, quæ opes externas non requirunt, cõmunem cũ viris principibus, ſortem pauper nactus eſt. Ad principes attinet templum Deo erigere in quo populus vnanimiter congregatus eum colat, domum pauperibus infirmis, vbi curentur peregrinis vbi recipiantur, ignorantibus vbi doceantur, proficientibus vbi perficiantur. Si ad animi magnitudinem reſpiciamus & facultatis ad operis factibilis proportionem; merito Sophia in Templi Dei ſtructura laudem tulit: quæ tam parum ad eam contulerat ex facultate, totum & amplius ex voluntate. Viduam plus omnibus miſiſſe dominus affirmauit in Gazophilacium qui non minus offerentium mentem ac facultatem: quam monetæ

valorem

valorem nouerat, Apoſtoli ob Chriſti ſequelam omnia reliquerunt : cum tamen viri magnifici, non ſolum ob familiæ ſuſtentationem, ſed ad conditionis ſplendorem, ſoleant magnam partem de ſua ſubſtantia reſeruare. Non eſt damnanda animi præparatio ad magna quædam opera, & magno honore digna, modo non negligantur ea quæ Deus in hominis poteſtate poſuit., & fieri præcepit. præpropera tamen & forte vanitati obnoxia eſt clerici adhuc in minoribus conſtituti, deliberatio : quid addi poſſit, extructæ ſumma magnificentia, Principis Apoſtolorum Baſilicæ : ſi ad ſummi Pontificatus faſtigium ipſe euectus fuerit, ad quod per tot gradus, tam raro, & ab vno aſcenditur. qui in modico fidelis eſt ſuper multa conſtituitur : & qui animam ſuam odit, charitatis vinculo cum Deo illam conſtringit. qui præſentis vitæ calamitates æquo animo tolerat ad mortem pro Chriſti gloria ſubeundam ſe diſponit. Vide ſi eſurienti in pauperibus Chriſto, modo panem porrigit, qui regnanti cum Chriſto, Apoſtolo, ſacellum delineat. Magno honore dignus eſt, qui ex totis animæ ſuæ viribus, quodlibet opus in Dei famulatu aggreditur. Magnificentiam magna-

magnanimitati iungit, qui facultates ſuas qualeſcumque, pro Dei honore contemnere paratus eſt.

PATIENTIA.

SI modo leo peregrinnm non deuorat, cum non adſit tyrannus qui terrorem mortis incutiat: cauendum eſt, ne ſcorpius mordeat, & inter tot mala huius vitæ, homo Dei triſtitiæ ſuccumbat. Quid iuuat tumentes oceani fluctus ſuperaſſe, ſi in anguſto flumine demergeris? Tota vita hominis tentatio eſt: nec ſola proſpera eligenda eſt, ſeu ſola aduerſa deuitanda, ſed vtraque caueuda, illa ne corrumpat, illa ne frangat. Vſque in finem ſæculi, nec iniquitas deerit premens, nec iuſtitia patiens. Magnus artifex Deus in hoc mundo veluti fornace, per ignem tribulationis, ab homine Dei veluti auro ſordes tollit, impios ſicuti paleam in cinerem vertit. Dum flagellis erudimur, peccatorum noſtrorum pœnas damus: mitis nobiſcum Deus eſt, quibus in pœnam dat, quod plerique pro delicijs acceptarent. Quodnam præclarum in Dei famulatu opus edidimus, propter quod multis hominum millibus præferri meruimus, qui Paganorum carceribus, triremi-

 bus

bus atque ædibus miſerrimam vitam degunt, catenis circundati, atque ideo à barbaris pluris beſtijs æſtimari ſolent quia maiori pretio venales, ſub diuerſis dominis iugum ſeruitutis ferre poſſunt? an quia infœliciores nobis illi ſunt, ideò deteriores? metuendum eſt, ne vua dum torcular timet, ab auibus vel à feris deuoretur. Dominus vineæ ex vuæ preſſura pretioſum vinum naſci facit, Deus à laboribus huius vitæ patientiam. Non eſt malum delinquenti cum plectitur, ſed cum in peccati ſtatu permanens non plectitur: quemadmodum & ægrotanti malum eſt, cum non curatur. Semper oportet nos metuere peccantes: maximè autem cum nihil triſte patimur. Conclamatum eſt, de hominis ſanitate ſi amaram potionem retrahit medicus, ferrum chirurgus, & ſuæ libertati relinquitur ægrotus. Si videris improbis rem bene ſuccedere, atque hominem Dei, infœlicem eſſe, & multa grauia pati: memineris patrem per nequiſſimos ſeruos, ſæpè filios ſuos emendare, cum illis compedes, his hereditatem præparet. Omnis poteſtas à Deo eſt, qui per impiorum prauitatem, promouere nouit ſeruorum ſuorum ſanctitatem. Non dixit Iob diabolum quicquam ſibi abſtuliſſe;

ſtuliſſe :ſed Dominum benedixit, quia ille dat & tollit : qui ſeipſum à benedicente non tollit : audet Dauid præceptum Domini appellare, dum fugiens filium maledicitur à ſeruo : non quod ignoraret Deum odio habere impietatem : ſed vt doceret ex hominum nequitia, ortæ virtute Dei, patientiæ, vtilitatem. oportet continuum abſque inducijs bellum eſſe, vbi quæuis pacis conditio iniqua eſt, ac damnata cum hoſtibus amicitia. Si de mundo homo Dei eſſet, mundus quod ſuum eſt, diligeret, cum vero de mundo non ſit, non mirum quod perſecutionem patitur ab exteris, qui tutus non eſt à domeſticis. per Euam primum hominem ſatanas deiecit, nec ceſſat inſtrumento ſimili vti, quod ad labefactandam viri ſapientiam tantum valuit. Exoſæ pleriſque mulieri carnem propriam ſubſtituit, quam nemo vnquam odio habuit. facilis de primo crimine ad plura & maiora tranſitus eſt, vnde non tam duram experiuntur dæmonis impugnationem qui ſe eius poteſtati, peccando ſubiecerunt. ad hominis Dei perniciem omnes vires ſuas, aduerſarius confert & ſi ab opere, pauliſper deſiſtere videtur, non eſt, quod de victoria deſperet : ſed vt ſecurum opprimat, dormien-

mientem feriat. Vndique oppugnata hominis Dei patientia; mauult quælibet mala non committendo ferre, quam non ferendo committere. Si enim ægrè ferat, quod velit nolit. ferendum eſt, non ſolum præſentem non leuat calamitatem, ſed tempeſtatem maiorem, ac ruinam ſibi adſciſcit. Quis non bibat tribulationis temporalis poculum metuens ignem gehennarum: & quis non contemnat ſæculi dulcedinem, inhians vitæ æternæ ſuauitati? propterea gaudijs terrenis tribulationes Deus miſcuit, vt ſentientes vitæ huius amaritudinem. Diſcamus æternam deſiderare fœlicitatem: nam ſi vita hæc peregrina eſt, aut patriam non diligis, aut ſinè dubio tribularis. Gemit homo Dei, etſi circumdatus proſperitate terrena, quam ſtulti admirantur, quia mortalitate premitur, & adoptionem filiorum Dei expectat: & exultabunt, hilares etiam in aduerſitate peccatores, non timentes diuinæ vltionis ſeueritatem, imò ſperantes ab eo quem contemnunt, gloriæ æternitatem: quem diligit D us, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit. Peccator filius dedignabitur flagellari cum ſine peccato, vnicum flagellatum videat? filium ſuum dedit nobis Deus,

non

non viuere nobiſcum, ſed mori. Imitandum propoſuit, non in mirabilium creatione, ſed in cruciatuum paſſione. In hoc vno nobis inuident Angeli, quod pro Deo aliquid pati poſſumus, quod numquam potuerunt. Cum filio innocentiſſimo, ab omni labe puriſſimam matrem, acerbiſſimos dolores paſſam eſſe; vix ſine lachrymis homo Dei meditatur. & gratitudinis ſuæ atque commiſerationis proemium refert, vt non ſemper ob delicta occulta ſe affligi timeat, vel correptum à Deo minus diligi. Leue tribulationis noſtræ pondus eſt, ſi cum martyrum paſſionibus comparetur. Immenſa Dei bonitas conſolationis ſocios facit qui tribulationis martyrum præcones tantummodo fuerunt. Fœlix qui ſine culpa, domini ſui patientis veſtigia ſequitur, ſed quod ſempiternam pœnā peccatis hominum debitam, in temporalem, Dei clementia permutauerit; etiam peccatoris pœnitentis animum excitat ad quælibet aduerſa æquo animo toleranda.

TEMPERANTIA.

IN cupiditate ac timore, omnes fere venantium laquei poſiti ſunt, quibus homines ſeipſos immodicè amantes inuoluant. Non ferunt nonnulli pau-

pertatis anguſtias : alios bonorum affluentia perdit : pauci ſunt qui mundanos honores non ambiant, ignominiam paſſim omnes vindicant. Tam vehemens eſt conſeruandæ vitæ in hominibus propenſio : vt pro ea non ſolum quælibet fortunæ bona, ſed boni nominis honorem, plerique contemnere parati ſunt : etſi morbus incurabilis ſit quo laborant, lenire dolorem conantur, quem tollere nequit medicaminis vis, non minoribus impenſis miſeri quam læti ſunt, qui è graui morbo conualuerunt. Vtinam inter mulieres nulla eſſet, quæ maiorem ſaturitatis panis rationem haberet, quam morum honeſtatis. Ad principes attinet in facinoroſos animaduertere, quos explorator monſtrat lictoribus vt teneant : hi confitentes coram iudice ſe delicti reos, carnifici tradunt vt puniat. Omnes iuſtitiæ inſeruiunt, ſed cum ſummo honore principes, iudex ſine dedecore : alij inglorioſam vitæ conditionem (quæ alijs terrori ſit, non recuſant. neceſſitas ad viliſſimam eſcam ſumendam, ſubinde homines compulit : neceſſitati mixta crudelitas, humanam carnem menſæ appoſuit. Cum parentes proli ſuæ ſuperuiuere non exoptent, inuenta tamen mater eſt, quæ filij

proprij

proprij carnibus vitæ ſuæ dies protrahere decreuerat. Vide quam intenſum ſit, conſeruandæ in indiuiduo vitæ deſiderium. Quia Angelorum natura à corruptione immunis eſt, in vno, ſpeciei pulchritudo ſubſiſtit. Nos omnes morimur: & niſi deficientibus, alij ſuperuenirent, vnius ſæculi ſpatium vniuerſum genus humanum ferè abſorberet. Hinc eò potentior eſt, ad conſeruandam ſpeciem inclinatio, quò commune bonum, priuato magis præpondetat. Inermis, gladium percutientis auertit manibus, ne totus homo pereat, ſi vulnus in corde acciperet. Non dubitanter ciuis pericula mortis aggreditur, vt patriam ab hoſtium timore liberet. Moleſtum homini eſſe quod cibum dentibus conterat, teſtis infirmus eſt qui ſtomachi malacia laborat. Sanitatis ſpes, hanc moleſtiam ægroto comedenti alleuiat, bene habenti, delectatio annexa labori. Grauiſſimum onus ſuſcipiunt qui procreādæ atque educandæ proli (quod ſine matrimonij vinculo nemo dignè facit) operam ſuam impendunt: quibus de conſortij bonis, ad relaxandum à familiæ curis animum, ſapienter prouiſum eſt. natura hominis operationi, delectationem adiunxit, vt facilius vitam in indiuiduo, & naturam in ſpe-

cie conſeruaret. Quem ordinem præuertere conuincitur, quiſquis delectationibus, quæ ad finem conſeruationis ordinatæ ſunt, veluti ſcopo cogitationum ſuarum adhæreat. Sicuti pertæſum vitæ ſuæ dicimus, qui cicutam ſibi notam, voluntariè ebibit: ſic qui nimio cibo ac potu corpus ſuum onerat, cenſetur vitam ſuam parui pendere, licet non tam certam ac repentinam mortem à crapula & ebrietate quam à veneni potione timeat. Ijs quibus per legem licet in ſenſibili matrimonij bono delectari, ſæpè ob paupertatis metum fœcunditatem perhorreſcunt, quem opulenti millies deſideratam non impetrant. Vtrique infœlices ſe exiſtimant, illi quia non habent, quod heredibus ſuis relinquant: hi quia fruſtra deſiderant, quos heredes inſtituant. Qui verò dulcedine voluptatis contra legem illecti ſunt, cùm præter indiuidui conſeruationem nullam curam ſuſceperint, vndique implicati, nec delectationem licite percipiunt, neque illiciti operis fructum, honorificè euulgant. Contra mortis pericula & quæ difficilia in via virtutis occurrunt, fortitudo cum annexis ei virtutibus, hominis Dei animum firmat: Temperantia cum ſuo comitatu eius appetitum moderatur

in

in his à quibus maximè allicitur, ne à rectitudinis ratione rēcedat. Et licet ea à quibus refrenat temperantia, infima in homine ſint, & quæ ei ſecundum naturam beſtialem conueniant; plures tamen ſunt qui in hanc vilitatem degenerant, quam qui dignitatis humanæ memores, præ honeſtis delectabilia contemnunt, qui gigantem proſtrauerat Dauid à fœmina vincitur: à fœmina & Holofernes, ſed primò ſuperatus à vino. Non curauit Eſau primogenitis priuari, dum liceret ei lentis edulio ſaturari. Rarò à cultu veræ diuinitatis quiſquam defecit, qui falſorū numinum Cereris: Bacchi ac Veneris ſeruituti, non ſe mancipauerit. Quis ex mancipijs his viliori domino ſeruiat, problema eſto. Indubitatum eſt, quod ſicut in ſatanæ regno, indiuiſa hæc numina ſunt: ità in vno homine; facillimè conueniant. Ieiunus ſtomachus potum non appetit: ferculorum abundantia ſitim prouocat. Da mihi hominem qui ſiti immodica premitur & potum recuſat: ego dabo nimio vino deditum, qui caſtitatem colat. Is qui à tranſitorijs mundi bonis fœlicitatem non expectat, per cibi ac potus ſumptionem nihil aliud intendit, quam vt vires corporis deperditas reficiat, quod al-

aliter idoneum animæ inſtrumentum eſſe nequit. Opprimit non reficit, qui ſuperfluo cibo illud onerat. Illimet qui in ſchola Epicuri fœlicitatem in corporis voluptate ſitam eſſe, didicerant, non aliter ſe poſſe hunc finem aſſequi arbitrati ſunt, quam ſi viliori & modico cibo veſcerentur, qui facilè poſſet à viribus ſtomachi concoqui. Merito corpoream ſubſtantiam, veluti beſtialem hominis partem, brutorum more regi oportere, ſapientes affirmauerunt; quia ſi nutrita non fuerit, facta imbecillis, domino ſuo non ſeruiet, lautius tractata recalcitrabit. Si ne beſtiæ quidem onus imponimus cui ferendo viribus imparem cognoſcimus: cur ad ſtomachum alimenti copiam tranſmittimus, quam vel non contineat, vel non conficiat? & beſtiæ quidem, quæ coanguſtatæ ob domini auaritiam ſiue ſerui infidelitatem, minus aliquid accipiunt quam naturæ neceſſitas poſtulet: ſolutæ à vinculis, etiam in prato amœno, menſuram quandam in ſumendo pabulo, non excedunt, & ad fontem bibentes, cernimus eas, poſt hauſtam, aquæ, modicam quantitatem necdum ſtimulatas, ab eo recedere. Quidam propter hoc, ſe beſtijs nobiliores iactare ſolent, quod hæ per naturæ inſtinctum

limi-

limitatas operationes ſuas habeant; illi per arbitrij libertatem, ad plura ſe extendant: atque vbi naturæ ſatisfactum eſt, amicitiæ atque obſeruantiæ rationem habeant. Dicunt ſe bibendo optare, vt amici benè valeant, vt principes reipublicæ diu ſeruentur incolumes. Valebunt amici, ſeruabuntur principes ſi moderatè vixerint, non ideo, quia dum alij eos honorare videntur ſeipſosimmoderatè onerant. Honorem ſimulat qui non amat: amare autem non præſumitur, qui ad præſtanda amicis obſequia, voluntariè inhabilem ſe reddit. Qui ſeipſum ac propriam familiam negligit (quod proprium epulonum eſſe ſolet) quomodo amicorum curam ſuſcipiet? principes à ſubditorumamore tria potiſſimum expectant: vt videlicet contra quælibet aduerſa, facultates ſuas, hilari animo contribuere parati ſint: ingenium bonis artibus exerceant, corpus bello gerendo adaptent. Conſilium tam pacis quam belli tempore non niſi à ſapiente petitur, nemo ſinè vſu bene armatus incedit, nec principi offeret quod non habet, vel quod parum habet. Quas facultates conuiuia tam frequenter inſtituta non exhauriant? in quibus vnuſquiſque proximi ſui prodigalitatem, non ſolum aſſequi

ſed ſuperare ſtudet, magnis ſumptibus congregans remotæ orbis partis cibaria, quæ non minus pompæ quam gulæ inſeruiant. Hoſpitem paganus ad bibendum inuitat, Chriſtianus cogit, & ſæpè contingit manum recuſantis vini calicem, ferro armari, ac ſi minus malum eligat pro ſobrietate ac ſanitate pugnare, quam ſi inuitus & reclamante natura, potum ſumat, cum plures crapula & ebrietate, quam gladio pereant. Niſi quis ingenium ad omnes res accommodatum à natura acceperit, non ſine magno labore ac temporis ſpatio, ad multarum rerum ſcientiam eruditur: itaut cæteris dignior ad publica negotia pertractanda vocatus, principi aſſideat. Qui corporis delicijs dediti ſunt. Vix amicis de die ſatisfaciunt, numquam de nocte ſibi. Ad diurnum ſtudium nonnulli nocturnas vigilias adiungunt, hi prandium ad cœnam protrahunt poſt quam ſomno ſepulti in meridiem fermè dormiunt. Pone quod honoris cauſa, ad actionem humana generoſitatę dignam, vim ſibi inferant, vel perorantes coram ſapientibus, vel in acie ſtrenuè pugnantes: numquam iudicabit princeps, negotiorum ſuorum arcana eorum fidei tutè committi, qui nimio vino dediti magis quidem

peccant

peccant, dum intemperanter ſibi nociturum ingerunt, ſed magis nocent, dum facti garruli, nullo habito perſonarum reſpectu, quælibet memoriæ primo obuia (quæ vel ſilentio tegenda hic & nunc, vcl vix vmquam dicenda forent) imprudenter effutiunt. Si feras excipias & cætera animalia, quæ humano generi damna inferre ſolent, ſeu quorum carnibus homo veſcitur, nemo ſine dolore patientem beſtiam aſpicit. Crudelitatis notam incurrit, qui poſt conflictum, grauiter vulneratum hoſtem interimit. Grauitas quidem mali ex intemperantia orti, ad miſericordiam flectit, cauſa autem huius morbi exacerbat eum qui videt, dum cum riſu atque hilaritate eos (quibus non ignota eſt vini potentia, vti Noemo fuit, neque corporis infirmitates, quarum nomina ægre ſibi attribui fertGallia ægrè Neapolis)ſpontaneè tantam vini qnantitatem ingurgitaſſe nouit, vt mortem ſibi ſuis manibus conſciſcere viderentur, tanta facilitate ad quaſlibet mulieres acceſſiſſe, ac ſi vellent experiri morbum, cnius nomen duæ potentiſſimæ nationes tantopere abhorrent. Aliarum virtutum mediocritas ab vtroqne vitiorum extremo impugnari ſolet: pauci contra temperantiam de-

linqunt

linqunt quod corpori ſuo neceſſaria ſubtrahant. Plures à ſuperfluis humoribus purgandos ſuſcipit medicus, quam curet inedia laborantes. Natura quæ in cibo ac potu delectationem poſuit, ſi ex neceſſitate ſumantur, in ſuperfluo, faſtidium collocauit. Diceres experientia diſcere velle etiam hanc veritatem, eum qui licitè guſtando delectatus eſt; at quod in idipſum redeat, qui toties ab intemperantia damnum paſſus eſt, minus pleriſque beſtijs ſibi conſulere conuincitur, quæ ſemel durè exceptæ ab aliquo, non ſolum perſonam fugiunt impoſterum ſed & locum in quo vapularunt. Ridiculum eſt, quod de honore diſputant, qui immodica cibi, ac potus ſumptione nihil vnquam laude dignum geſſerunt. Potor vini hellnonem antecedere contendit (non quod hominis Dei dignitatem ambiat, cuius non in aliqua orbis parte, ſed in tota Dei Eccleſia, laus eſt) ex eo, quod quædam animalia ſine potu vitam agant, omnia fermè cum cibo ſaturata fuerint, tunc demum ad fontes aquarum currunt, atque eo magis ſe ad humanitatem accedere exiſtimat, quò magis à brutalitate recedit. nulli ex animantibus natura tactum atque guſtum negauit. Hos ſenſus cum vilif-

ſimis

ſimis animaculis homo communes habet. Quod verò guſtando, turpius in potu quam in cibo exceditur: paraſitus ex cupedijs ſatur, ad minus, ſine acumine ingenij, rationis vſum habens, demonſtrat, cum potoris cerebrum vini fumoſitate adeo perturbetur: vt vel ſomni ſilentio humanitatem omnem condat, vel ſcurrilitate ſua, inſaniam ex nimia potione ortam prodat. Homo Dei fateri cogitur, ſe in corporis refectione potius aliquantulum exceſſiſſe, quam naturæ ſuæ defuiſſe, niſi damnare voluerit, venerandos illos eremi cultores, quorum vitæ auſteritas in pœnam peccatorum voluntariè aſſumpta, vix in feſtis ſolemnioribus, ad herbas, olei paucas guttulas, pro condimento admiſit. Hinc eſt quod bellum carni ſuæ indicat, ſuperfluas expenſas, dies malè conſumptos, ſanitatem ab intemperantia læſam repetat per ſomnum famem & corporalia miſericordiæ opera reſtitui ſibi velit quod iniuſtè ablatum eſt, merito illam cogens aliquid de proprio cedere, quæ toties furata eſt alienum. Dum corpus ſuum per abſtinentiam ac ſobrietatem in ſeruitutem redigit, dulciores ſibi epulas facit, vitam in plurimos annos protrahit, & quidem illam, quam con-

uenien-

uenientes humanæ conditioni operationes nobilitant, corporis ſanitatem conſeruat (ſine qua in parua æſtimatione vita hominis eſt) facultates ad vſus honorificos ſeruat: principum familiaritate, & quod præcipuum eſt, Dei gratia dignum ſe facit. Angelicos ſpiritus æmulari quodammodò videtur, qui carnem ſuam gulæ illecebris ſubtraxit. Sed necdum parta de carne victoria eſt, niſi puram ab impudicitiæ labe mentem, corpus à luxuriæ ſordibus incontaminatum ſeruauerit, paucorum eſt virginitas in carne, omnium debet eſſe in corde. qui potuit capere, quod præceptum domini non eſt, ſed ſalubre conſilium ſic de Virginitatis dono gaudeat, vt cum magna cautela illud teneat Quid enim iuuat caro integra, mente corrupta? omnes quidem qui à Deo recedunt, merito ſtultitiæ arguuntur quod in ciſternis diſſipatis aquas quærant, fontem aquæ viuæ negligant; ſed præcipuè virgines illæ fatuæ dictæ ſunt, quæ cum poſſent inuenire ſponſum in cœlo, quæſiuere in terra laudatorem. Sola caſtitas in hoc loco mortalitatis, ſtatum fœlicem immortalitatis repreſentat. Nihil in hoc mundo pulchrum, niſi quod purum: puritas autem hominum caſtitas eſt, quæ

veluti æquales Angelis illos facit. Abominabilis apud Deum eſt, quicumque furenti libidine rapitur: ſed quæ impudica eſt mulier, etiam ab hominibus deſpicitur, qui ſine honeſtate, nullam reputant honore dignam. Prudentis viri iudicium quæritur, vt rei iuſta æſtimatio fiat. Languere ſe dicat quis amore meretricis; nemo credet, niſi probet amorem ducendo in vxorem, cubilis impuri ſociam. Sic ſinè crimine viu t, ſed non ſine formidine: vt quæ cum ſui aibirrij eſſet fortè munuſculo allecta, non timuit (quod in muliere præſtantiſſimum eſt) honeſtatis bonum, proſtituere: hæc minoris periculi & maioris licentiæ auxilio ſuffulta, ingentis pretij ſpe ad extranei amorem tranſire non vereatur. Alij ne virginem quidem in vxorem poſtulant, quæ de impudicitia ſuſpecta auia, orta eſt; neque curant dotis amplitudinem, de qua dubitari poſſit, congeſtam potius eſſe ex amicorum muneribus, quam ex auorum prædijs. Vnigenitus Dei Filius ab æterno ſine matre genitus, in tempore ſine patre naſci voluit, & ad electã in matrem virginem, non Prophetam ſed Angelum miſit. Qui dignatus eſt ab iniquis inter latrones deputari ac vini potoris conuicium ſuſtinere; noluit incon-

incontinentiæ maledicto onerari. Diſcipuli ad puteum ſedentem, ſola præſente muliere, admirati ſunt, non quod ſiniſtri quicquam ſuſpicarentur, ſed quod rem inſolitam intuerentur. Inuenit Petrus in Domino ſuo, cur diligendo magis arderet, vidit Dominus in Ioanne, cur eum inter cæteros magis diligeret. Chriſtus Virgo, Matrem Virginem, Ioanni Virgini commendat: vt inter cæteras Virtutes ad colendam præcipuè caſtitatem, corda fidelium vehementer accendat. In aſſumptis corporibus legimus Angelos ab Abraham hoſpitio exceptos & conuiuio, Raphaelem, ſponſam Tobiæ procuraſſe, numquam tamen (præter malignos ſpiritus) naturæ ſpiritualis puritati nequidem apparentem carnis maculam inuſiſſe. An non dedecuit cæleſtes ſpiritus tali cõuiuio excipi, in quo ſine culpa etiam recreari hominibus licet, vnde hilares vocari ſolent huiuſmodi (quod deindè vocabulum, viris primarijs applicatum eſt, ne cum multo vino deditì ſunt idem cum plebe ebrioſorum nomen ſortiantur) In ijs verò quæ ob vitam inſpecie conſeruandam tantummodo homini conceſſa ſunt (cum ſpiritualis natura mortem non timeat) ſi Angelos beatos occupari homines

vide-

viderent, poſſent induci ad credendum, ſibi etiam licere in ſimilibus extra connubij ſepta delectari. Illi quibus corpora humana ſanandi cura incumbit, de applicandis cuilibet illorum parti remedijs cogitant, & ex pulſu febrilem ardorem diſcernunt. Alijs de ſanctitate cura eſſe debet, vt intus charitate ardeant, foris bonæ vitæ exemplo luceant. Animas hominum, quæ nec mares nec fœminæ ſunt tutè indagamus, & ſine periculo diligimus: in vtriuſque ſexus corporibus charitatis vinculo vnitas, loci interuallo prudenter ſeiungimus, cum ob ſimilitudinem amorum, puritatem corporis ſæpè ſubſecuta ſit, obſcænitas carnis. Ignauus miles eſt, qui fugiendo hoſti ſuo animum addit, atq; in tergo dat vulneri locum. Dum de ſeruanda caſtitate agitur, fugiendo vincitur, perdendo acquiritur. Diceres elapſum è dominæ ſuæ conclaui Ioſephum dum in conſpectum populi ſine pallio venit, vel indignum aliquod facinus perpetraſſe, quod ſaluandæ perſonæ non indumento tempus dedit vel mores ingenuis vſitatos negligere. pallium neque ad pugnam aptum erat, neque ad victoriam: nam ſi fugiendo eum vincere oportebat, curſus velocitatem retardaſſet onus, victorem

purpura

purpura decebat, quam loco pallij apud regem inuenit. Vbi periculum ſalutis æternæ alicui imminet, traditionis hominum habenda ratio non eſt, neque curandum quid mundus dicturus ſit, multum, verò quod Deus iudicaturus. Non mireris adoleſcentem ab impudica muliere in periculum adductum, cum nec ſibi nec ſanctis mulieribus fidendum eſſe homines Dei conſtanter affirment. Si Baſilius dignus eſt cui credamus ſe mulierem non cognouiſſe, facilius credendum eſt affirmanti ſe virginitatis florem amiſiſſe. Quibuſdam aliena prauitas decipulam ſtruit: alij ob propriam fragilitatem decidunt. mulier quæ ad venerandi ſenis tranſitum, pio affectu acceſſerat, viſa à moriente repulſa eſt, (nouerat enim non ſine fuga quemquam reportare in carnis conflictu victoriam) ſi ex conſumpti fermè corporis reſidua ſcintilla, magnum incendium ſenis prudentia timuit: quis in corpore impinguato adoleſcens ſeu robuſtus, flammam ardentem, ſine timore nutriat? ad elaboratas inſignis artificis manu vuas paucæ quædam auiculæ deceptæ aduolarunt: potentior fuit naturæ attrahentis vis. Mulier compta artem naturæ coniunxit, ſed ſimul ſuſpicionem
ingeſ-

ingeſſit ſpectatori, correxiſſe ſe arte deficientem in aliquo naturam. Innumeri hominum caſtitati laquei poſiti ſunt. Quidam à perfrictæ frontis impudentia trahuntur, alios modeſtię ſimulatio mouet. In lachrymis in cantu in riſu atque in greſſu, technas aduerſarius homini poſuit; cum veterano notum ſit, quod vbi ei per vnicam viam ſemel in animam hominis introitus datus eſt facillimum ei deinde ſit per cęteras animæ potentias ſe diffundere. Adoleſcens quidam moleſtę ferebat, ſe cum ſorore ludentem acrius à parentibus obiurgari: cui diabolicam quandam logices formalitatem Nerius detexit, cum nimirum à conſanguinitate formam quis abſtrahit. Turbata virgo eſt, quia ſola Angelum vidit in forma humana, & quidem diuina tractantem: quomodo mulier imbecillis, placido vultu hominem aſpiciendo auſcultet Naſonis argutias atque obſcænitatem temere ventilantem? Regnum Cœlorum (pro quo emendo, qui ſapit, vendit omnia quæ poſſidet) pro vili corporis delectatione (quæ in brutis maior eſt) ab inſipientibus quotidie contemnitur nec tamen ideo ſe ſapientem reputet auarus cum veluti in Beelzebub dæmonia eiiciat, qui ex affectu auaritiæ

ieiunat

ieiunat atque à carnis voluptate abſtinet. Tolerabile quodammodo in infidelibus eſt, quod ament terrenam fælicitatem, qui non ſperant gaudiorum æternitatem; ſed quod in congerendis ſiliquis, momenta ſua homo fidelis inſumat, æternitatem negligat, peccator dum ingemiſcit obſtupeſcit, Deus propter pœnitentiam diſſimulat. Cauendum ne dum eſcæ in ore ſunt, ira Dei ſuper nos aſcendat.

MANSVETVDO.

Ex malorum perpeſſione homo Dei non dignoſcitur, cum damnati atque improbi viatores, ſcelerum ſuorum pœnas ſine merito ſufferant. Charitati patientiam iungit, patientiæ manſuetudinem, cum veluti ab amicis illatá ſibi mala æquo animo ſuſtinet, neque de vindicta cogitat. Brutis à natura arma data ſunt, quibus ſibi aduerſantia repellant: homo inermis naſcitur vt in ipſo natiuitatis ſuæ principio, propriam humanæ naturę manſuetudinem ſibi vendicet: cum nudus non habeat, quo malum inferat, illæſus non habeat, cur malum referat. Adinuenta per rationis vſum arma, contra rationem inſeruire, nemo ap-

pro-

probabit, qui damnat filios aduerſus parentes ſuos impiè inſurgere. Poſtquam homo à Deo receſſit animalia ſibi ſubdita, à ſe deficere docuit; neque timuere poſteri iuſſa hominum parui pendere, cum Dei mandatum primus homo pro vili pomo contempſiſſet. Ferociam beſtiarum ex ferro fabricata lancea, domare homo incepit, atque in ſui tutelam contra potentiorem, vel in perniciem inferiorum illa vſus eſt. Poſt primam inobedientiam, durum hominibus viſum eſt ſi potentior ex ijs non imperaret, infirmior ſe ſubderet. ſtabilita tandem mundi imperia ſunt: in quibus ſub principe, duces atque miniſtri iniuſtitiam vindicant. Priuatæ auctoritati relictum eſt, vt ſuam quiſque vitam contra iniuſtum aggreſſorem tueri poſſit, & (ſi opus eſt) mortem illi inferat, qui vitam ei inuidet, & quidem vbi de vita ſubditorum agitur & conſeruanda cuilibet ſua facultate, de ſuorum indemnitate ſollicitusq; princeps vigilat. Innumera alia in vita humana accidunt, quæ licet à prætore non curentur, magnam tamen præbent homini Dei, philoſophandi materiam. Commodebit quis amico pecuniam, à quo honoris cauſa non poſtulat chirographum. Pone quod

non exigat, ſanè nunquam recipit. Si verò exigit, cùm pecunia amicum perdidit. Eſt qui pro alio apud creditorem ſpopondit & paulò poſt debitoris nomine cogitur ſummam perſoluere. Si repetit à debitore, quod ſuum eſt, non negat reddere, ſed differt. dum vrgetur iram fingit, vt in ius vocatus, per probatam ab vxore ſua dotem ab importunitate benefactoris ſe liberet. mercator carioſum tibi pannum vendidit, ſartor diſſimulauit, & quem defectum, officinæ obſcuritas texit, ſerò tibi ſolis radij patefecerūt. Vix effugiat quis ſolutiſſimas linguas, detractiones ludibria, ſcurrilitates, atque improborum calumnias. Eſt qui iracundia ſubita concitatus, ad iudicium Dei, vocat huiuſmodi homines, à quibus honoris, famæ, ac facultatum diſpendia paſſus eſt. Sed quid iuuat, vt poſt aliquot, annorum ſpatium, hi iuſto iudici pœnas dent, ille interim cum dedecore viuat, ſeu fame pereat. Tam iudicium quam vindictam ſibi Deus reſeruauit & per miniſtros ſuos in hac vita examinari opera hominum vult ac delicta puniri. qui ad extremum vitæ vel vniuerſale iudicium, inimicum ſuum vocat non corripi eum vult, vt ſaluetur, ſed confundi vt condemnetur. Non ergo didicit

didicit à Chriſto, mitis eſſe. Quia non habes, quo probes te pecuniam commodaſſe: expertus es, cum damno te ſpopondiſſe, ſerò teredinis morſum in veſte deprehendiſſe, atque erubeſcis more mulierculatum, malignantium calumnias apud iudicem deponere: audebis vindictam inferre, & Chriſti tribunal vſurpare? temerè temetipſum principem conſtituis, iniuſtè in propria cauſa iudicem, cum dedecore tortorem. Quidnam facturus es, dum ira exardeſcis? occiſurus es hominem; hoc & ſcorpius, hoc & vna febris, hoc & vnus fungus malus poteſt. Hucne redacta eſt omnis potentia tua vt malo fungo coæquetur? cur tam generoſus ad laternam, nil tale cogitantem & fortè inermem vel leuius armatum aggrederis, vt priuatam iniuriam vindices, & pugnare in conſpectu ſolis non audes, vt de Paganorum blaſphemijs vindictam ſumas, captiuos fratres tuos à captiuitate liberes, titubantes in debita principibus Chriſtianis fidelitate, confirmes. Nullus ferè tam lapideus ac ferreus eſt, qui ſi videat graui aliquo caſu inimicum, angi aduerſus illum odium ſeruare poſſit. An dignum commiſeratione iudicas qui graui morbo oppreſſus eſt, facultatibus deſtitu-

tus atque ab amicis derelictus, & non potius eum qui iniurius proximo ſuo à Dei gratia excidit, ſine qua, qui bene ſibi eſſe, in quauis mundi proſperitate affirmauerit, mendax eſt: qui verò ita credit, grauiori morbo æger eſt. fortè pudet te beſtiarum more, corporis robore contraria propellere, & ad argumenta conuerteris. Caue ne quemquam maledictis dedecoraueris: nam in hoc dicendi genere, facile muliercula probroſa eloquentiam tuã ſuperabit. Facilis eſt verborũ ad verbera tranſitus, & ſpirantẽ minarũ atq; vindictæ circummiens obſeruat explorator, anhelans expectat ſatelles, phyſicus ex vulnere ægrotantem præuidet, fiſcus vitæ ſuæ vel pecuniæ prodigum. Facilè quis, ignis ſcintillàm in principio extinxerit: quæ ſi à ventis agitata, atque aucta fuerit. Cum ad calefaciendum vnum hominem deſtinaretur vrbis totius incendium, cum plurimorum hominum interitu ſæpè cauſauit. Dicis te ad reprimendam detractoris inſolentiàm grauius in illum inuehi: conſulendo honori, ne circumſtantes ex ſilentio tuo reum te ſuſpicentur; ſed cur talia verba profers quæ duriora ei ſint, à quo contumeliam paſſus es, quam illa tibi, quibus impudenter te onerauit? vnde irritati

ritati nouam iniuriam non ferens ferro tacere quidem facis maledicentis linguam, ſed magis clamare ſanguinem, adeo vt vitæ honoris ac bonorum à à iudice tibi inflictum damnum ſubire cogaris, niſi principis clementia te liberet, vel pœnam mitiget. Cur non potius ob Chriſti amore & dexteram, & linguam cohibuiſti? ſilentium ſanè optimum eſt contra peſtiferam linguam remedium quo mitis homo Dei maledicentem non irritat, ſed potius ſuauiter ad verecundiam adducit dum ita ſecum agit, vti cum pueris ſolemus, qui cum multa non ſibi cohærentia proferant, plurima ineptè effutiant, tamquam cantantes auiculas negligimus, conſideratione noſtra atque ira indignos. Neque timendum eſt, quod taciturnitatem noſtram à timore proficiſci maledicus exiſtimet, cum animus virilis ac præſens in fronte ſerena, ſufficiēter appareat. Ille verò metusqui viro forti à beſtiarũ cornibus incutitur, ſicuti virtuti contrarius non eſt, ita nullum hominem decet, ita eſſe formidoloſum. Nulla tamen erit tacentis vtilitas, ſi natura eius perturbationibus æſtuet: vt potius tecto, quàm ſublato iræ ſuæ furore, vindictam differre videatur. Quem videmus ſibimet colaphos impingere, capillos euelle-

re, carnes diſcerpere, vehementem nobis inſaniæ ſuſpicionem ingerit: fortè non multum diſſimilis eſt excandeſcentis iræ æſtu, animi in facie hominis apparentis imago, quam ſi attentè quis in alio, mente ſerena contemplatus fuerit, non tàm facile,præcipiti ire habenas laxabit. Neſcis quod ſub Chriſto capite, vnius corporis membra ſumus? an nòn tua intereſt, ſi ſaluo vno oculo, alium quis tibi eruat? & ſi non percipis, vt animalis homo in corpore Chriſti myſtico fidelium vnitatem; ſaltem tibi profuturam agnóſce in animalculo veritatem. Si apis alicui ſtimulum infixerit, illi quidem doloris, ſibi, necis cauſa eſt. Etſi reus mortis fuerit, qui tibi iniuſtè damnum intulit, ſi tu eum interfeceris, maioris criminis reus es: nam ille te priuatum offendit, tu principis maieſtatem. Dominus noſter IESVS CHRISTVS tamquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce,ſic non aperuit os ſuum. innocens, exemplo ſuo docuit mala pati, & pro malis bona reddere: vt peccatoris irati vocem moderaretur, clamores tolleret, arma coerceret. Si iuſtum eſt pati eum qui tibi iniuriam intulit: quantò magis plecti dignus eſt, qui legem Dei

concul-

conculcauit? vide ne tibimet proprius atque in proximum implacabilis, dupliciter iniquus, grauiores de conniuentia, quam de crudelitate pœnas luas.

MODESTIA.

INditum vnicuique ſciendi deſiderium magnum ab hominum congreſſibus incrementum ſumpſit: in quibus cum ab ore ſapientum indocti pendeant, veluti principis locum tenere videntur, qui ex abditis litterarum fontibus plurimum hauſerunt. Vulgus exteriora hominis admiratur: vndè ſi coram eo Tullius in veſte laccra diceret, reiecta eloquentiæ margarita, vilis orator appareret. Hinc eſt, quod prudentes huius ſæculi pretioſa veſte & magnifica ſuppellectile apud plebem aditum ſibi ad honorem faciant, nec minus in ludicris quam ſerijs negotijs, ingenij ſui acumen oſtendant: vt ioco captis etiam ijs, qui ſublimitatem ſermonis non percipiunt, omnium hominum beneuolentiam aucupentur. De nulla re iactare ſe magis ſolent homines, quam ſi multarum rerum ſcientia excellant, quod eam ſuo labore atque induſtria acquiſiuiſſe videantur: cætera verò bona, à pa-

rentum cura, cum hereditate accepiſſe. Homo Dei illarum duntaxat rerum ſcientiam deſiderat, quæ ſibi ad Dei amorem viam ſtruunt proximis ad ædificationem. Non aliter ludendum eſſe exiſtimat, quam dormiendum eſt: cum ſerio negotio intentus nemo ſomnum eligat, niſi vt fructuoſius vigilet. In illo habitu incedit, qui conditioni ſuæ congruit, nec propter ſordes dedecus affert, nec propter faſtum palam reprehenditur. ſunt qui deſertis virtutibus, magnum aliquid ſe agere putant, ſi vniuerſam iſtam corporis molem (quam mundum nuncupamus) curioſiſſimè, intentiſſimèque perquirant. Sed quid ijs prodeſt, quod in conſideratione creaturarum, vanam & perituram curioſitatem exerceant, & gradum ſibi ad immortalia & ſemper manentia non faciant. Turpiori labe ſe inficiunt, qui veluti ſues in volutabro, proximorum ſuorum defectus. inquirunt (quos quidem ab ijs quorum curæ commiſſi ſunt, benignè corripi, ac durius, ſi oportet, obiurgari æquum eſt) & nihil aliud quęrunt, niſi quod deſpiciant, quodque detractioni, ac proximi perturbationi materiam ſubminiſtret. Sicuti aurum quod ſibi ad vitæ ſuſtentationem neceſſarium eſt pleriſque chymiſtæ pro-

digunt

digunt; ſic qui per ſtudium minus vtile ab eo retrahitur, quod ei ex neceſſitate incumbit, operam ſuam perdit. Forſan ex animo anguſto naſcitur quod quis exiguæ familiæ præfectus, tam duram prouinciam ſe ſuſcepiſſe exiſtimet, vt totis viribus operi intentus, non audeat de Indis quemquã interrogare. Sanè tanti ponderis eſt vitæ hominum conſeruatio, quæ medico cordi eſſe debet, facultatum ſine quibus miſerè viuitur, quas iurisperiti ac iudices cuſtodiunt: animarum ſalus cui Sacerdos inuigilat, ac totius reipublicæ bonum, quod principes curant: vt ne momentum quidem vacui temporis, ad inane quicquam cogitandum, tam ſerio occupatis, ſupereſſe videatur. non laudo vt quis tam alienũ ſe exhibeat à rerũ cognitione: vt ab externo, in patria ſua interrogatus, ipſemet Hoſpes eſſe videatur: & ſi peregrinari eum oportet pro equo ſtabularium conueniat, cum de naulo ſtabiliendum eſt, apud nauticum. nouerit vnde veniat, aut quo vadat, ne dum regna cum ciuitatibus prouincias cum oppidis ac pagis, confundit inſcitiam ſuam prodat atque interrogando cum rubore diſcat Fruſtrà multarum rerum notitiam expectamus ab hominibusqui pauciſſima comprehen-

dunt ; impiè dæmones conſulimus (quibuſcum ſocietatem habere nefas eſt) qui numquam docent, niſi vt noceant : neque decet hominem Dei ſtudere ad cognoſcendam veritatem, quæ ſuperat ingenij ſui facultatem. Quid ageret Deus antequam quicquam faceret? cur præſcius futurorum peccaturos homines, atque Angelos creauerit? cur ex hominibus hos, & non illos ante mundi conſtitutionem elegerit? cur non omnibus qui peccauerunt, pœnitentiam finalem conceſſerit? cur paruulos in vtero matris incluſos, abſque baptiſmatis aqua ſalutari, interire permiſerit? ab halitu ſerpentis (qui à protoplaſto quærere incepit, cur Deus illi pomi eſum vetuiſſet) infecta lingua, profectæ quæſtiones ſunt, niſi ideo proponantur, vt maieſtatis diuinæ gloria hominibus magis innoteſcat, atque incomprehenſibilibus Dei iudicijs humana infirmitas per humilitatem ſubiecta, ſuccumbat. Hoc fige in corde tuo, hoc de cognitione tua non excutiat inimicus. Facere poteſt aliquid Deus, vt tu neſcias quare faciat, iniquè tamen facere non poteſt, apud quem non eſt iniquitas. An parum tibi videtur, quia bonum quod facis ipſe tibi dedit, & de malo tuo ipſe

bene

benè facit? pulchritudo virtutis ſalus mētis eſt, quę ſe per exteriores actiones veluti per bonum colorem optimè ſanitatis indicium manifeſtat, ex omnibus refulgere & notum eſſe hominem Dei conuenit, ab inceſſu, & ab inſpectu, à veſte, & à voce, nam ex motibus exterioribus Homo cordis noſtri abſconditus, aut leuior aut turbidior, aut contra grauior, & maturior æſtimatur. Greſſus ille probabilis eſt, in quo ſit ſpecies auctoritatis, grauitatis pondus, tranquillitatis veſtigium. Neque tamen dedecet ſapientem, interdum remittere aciem rebus agendis intentam: ita tamen vt per ludos ad animi ſolamen adhibitos non ſoluat omnem harmoniam quaſi bonorum operum concentum. Grauiſſimus impiorum error fuit, vitam hominum ludum æſtimantium: quos Tullius redarguit: Dum homines non ita à natura genitos eſſe probat: vt ad ludū & iocum facti eſſe videantur, ſed ad ſeueritatem potius & ad quædam ſtudia maiora & grauiora. Quod philoſophando Cicero, de longè attigit, Chriſtus exemplo ſuo docuit: quem flentem frequenter inuenias, vt ſupra Lazarum Ieruſalem Iudam, numquam verò ridentem, ſed nec leuiter ſaltem ſubridendo gaudentem. Ille ludendi

artem optimè addidicit, qui dicta aliqua vel facta, conuenienter in ſolatium aliorum conuertit: itaut perſonis, loco ac tempori conueniat. Neque enim cum principe ludendum eſt, niſi prius ipſe ludere voluerit & te colludere. Qui ſemel ad ludendũ cum eo, vocatus fuit, non putet ſe ſemper poſſe ludere. In loco ſacro ludũ inſtituere non conuenit, neq; mœſtitiæ tẽpus, ludentes recipit. Importunus muſicus eſt qui recens viduam copioſæ prolis matrem cantiuncula ſua circumſtrepit. Talis etiam materiæ dignitas eſſe poteſt: vt facultatem iocandi penitus adimat: qualis eſt ſacra doctrina quæ maximis rebus intendit. Neque enim fas eſt, ab ea temporalia gaudia petere, à qua ad domum luctus mittimur: & ſi præſtantius quid in ea quærimus, iam non amplius ludimus. Inter pares, ludentes, ſummopere abeſſe ſtudeamus, à ludendi genere, quod illiberale & petulans eſt & in proximorum contemptum ſeu damnum vergit. Nouit homo-Dei, ita cum ſodalibus ſuis ludere: vt in in ipſo ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat. Dicent amici eum hilarem fuiſſe, nemo ex ijs qui eum oderunt, ſcurrilem appellabit. Qui contemplationi rerum cœleſtium addicti

ſoli-

ſolitudinem amant, optimam partem elegerunt: quibus, ſicuti obſtrepere nemo debet, ſi ad ludendum non veniant, non vrgente ſuperioris mandato, ita neque illi, modeſtè ludentes parui pendere præſumant. Conuenientis conditioni vniuſcuiuſque habitus, modeſtia regulam præſcribit, Gallia formam. A regis nutu hæc natio pendet, à voluntate regis, vt totam fermè Europam encæniare faciat. Vtinam ſicuti benignè nouæ formæ inuentionem cæteris Nationibus Galli communicant: ita etiam veſtium vſus gratiam transfunderent. Ridiculi nonnulli fiunt qui, ſe ornari credunt, cum eadem veſtis, quæ Francorum corporibus venuſtatem addit, tardioris motus hominibus diſſentanea nimis appareat. Non in ſolo rerum corporearum nitore, atque pompa, ſed in ipſis ſordibus luctuoſis eſſe poſſe iactantiam atque eò periculoſiorem, quò ſub nomine ſeruitutis Dei decipit, Auguſtinus teſtis eſt. Sanè non capiebam quomodo qui pretioſa pro Chriſto reliquit, de noua tunica gaudeat: multò minus quod ex lacera veſte gloriam hominum quærat: cum in religioſo habitu, totius ordinis Coryphæum, in Sanctorum numerum relatum, ſiue benedictionem, populus honorare in-

tendat; perſonam autem, ſi mores, ordinis præſcripto conformes exhibeat. Quam præclarum modeſtiæ ſpecimen Chriſtiano populo præbet, qui in habitu conditioni ſuæ congruenti, ſimplicitatem præſefert, tam ſerio ludit, vt multos; in negotijs grauiſſimis occupatos, tam ſerios velis, atque inter tot ſcibilia vnicum ſcire deſiderat IESVM CHRISTVM, & hunc crucifixum.

HVMILITAS.

QVando Dominus, à ſe nos diſcerere manſuetudinem, & cordis humilitatem iuſſit, non propterea ad alium magiſtrum miſit. Ipſe enim qui dignatus eſt in carne viſibili, Homo Deus, os ſuum aperire, primò ora Prophetarum aperuit, & adhuc per os eorum loquitur, quos miniſtros ſuos conſtituit ac myſteriorum Dei diſpenſatores. Quia ab antiquis didicimus, proximos diligere, inimicos verò odio habere, peccatorum ſordibus ſe coinquinare, & nihilominus iuſtitiæ laudem affectare: manſuetudinem ſuam odio oppoſuit, hypocriſi humilitatem. Pauci ante Domini aduentum, vlciſcendæ iniuriæ occaſionem neglexerunt; inter quos homo Dei

Dei Dauid ex inimici ſui dormientis
lamyde, particulam gladio decidit,
le ſanguine verò ne guttulam quidem
effudit. Soporem regi Dominus immi-
erat : vt tam inſigne manſuetudinis
exemplum poſteris præluceret. Maior
hominum pars, lætari cum male fa-
ceret, atque in rebus peſſimis exulta-
re conſueuerat. Qui verò non tam ir-
reuerentis atque infruniti erant ani-
mi, placere hominibus ſtudebant, Dei
mandata, negligendo, contemnebant.
Dominus Iudam (qui ad tradendum
eum venerat) amicum vocat: & qui
peccatum non fecerat, peccatoris ſi-
militudinem induit: vt ſua nos humi-
litate confunderet, qui peccato ob-
noxij iuſtorum formam vſurpamus,
inimicum etiam ſincerè ſe humilian-
tem, reiicimus. Vides quod totius
philoſophiæ faſtigium breuis hic Chri-
ſti ſermo complectitur: nam qui iu-
ſtitiam eſurit & minimis ſe annume-
rat, exaltari à domino meretur, vt in
in charitate proficiat, quæ maxima
ab hominum improbitate, detrimenta
ſuſtinet. E montibus ad valles fluunt
aquæ, è cœlo ſuper humiles, pluit
Deus gratiarum ſuarum dona. Qui
ante Deum ſe proiicit, ab illo erigitur
qui aduerſus illum erigitur, ab illo
proiicitur. Humilitas, quæ nobis adſunt
bona

bona conſeruat, & quæ non habemus facile adijcit. Hæc eſt humilis cordis vera compunctio, magna agere, & humilia loqui, iuſta operari, ac ſuper peccatores timere ac tremere. nihil magis nouum atque inſolitum humili eſt, quam laudari; cum laudatur in facie, flagellatur in corde; laudes enim veluti latrones ſunt, qui ſæpè theſaurum humilitatis auferunt. Fortè inter tria maxima mundi mala, ſuperbia vltimo loco ponitur: vt intelligamus hinc, quod poſtquam aliquis cætera vitia ſuperauit, adhuc reſtat ſuperbia, quæ de victoria aliorum vitiorum multoties naſcitur. Non grande eſt, ijs nos eſſe humiles, à quibus honoramur ſed illis maxime humiles eſſe debemus à quibus aliquid patimur. In humilitate ſuperiorem ſibi quem libet reputare, hominis Dei proprium eſt, qui conſiderat aliquod boni eſſe in proximo, quod ipſe non habet; vel aliquid mali in ſe eſſe, quod in alio non eſt, ex quo ſe ei per humilitatem ſubiicit. Sicuti ſub cinere tectum ſæpe ignem deprehendimus; ſic ſub exteriori abiectione eximium Ieſu Chriſti amorem. Admirandos nobis dedit nonnullos Deus, qui cum maxime ſaperent, tunc magis inſanire videbantur, non curantes hominum ludibria,

modo

modo tuta à vano mundi applauſu, eſſet vitæ illorum innocentia. diceres ſemper vilioris conditionis homines, bouis aratoris ſequi veſtigia, niſi ab aratro conſul reipublicæ bella geſturus, diſceſſiſſet & victor à triumpho ad aratrum rediјſſet. quid miraris agricolam ad præfecturam exercitus, & pugnam ab hominibus vocari: ſi vides Iſidorum de hoſtibus ſuis triumphantem, in cœlis à Deo coronari? qui videbatur ſolam terræ duriciem aratro fregiſſe, per tam abiectum humilitatis exercitium viſus eſt ſuperbiæ tumorem depreſſiſſe. Ad corporis cuſtodiam, miles principem cingit, eques ad honorem. Pone noſtri ſæculi principes, ob populorum amorem, ac fidelitatem, tam ſecuros: vt ſi ſoli in ſylua errauerint magis feram quam hominem timeant. Contra conſuetunem, tamen eſt, ſine vllo dignitatis ſigno, principem modo ita incedere. mirandum ſed verum eſt, quod ventilans in area triticum ſola ancilla ad domus cuſtodiam relicta, obdormiuit, quando ſicarij ingreſſi ædes caput regis amputauerunt. Dubitaret hic politicus infidelis, an tunc capite priuatus ſit rex, cum nebulones eum dormientem inuaderent, an verò cum proclamato iam Dauide in regẽ, ſola re-

licta muliercula, ad domus cuſtodiam lectum ſecurè conſcendit, & ſomnum cœpit. Cum Scriptura ne iota quidem ſiue apicem fruſtra exaret: an ſignificare voluit, ſinè externo faſtu ſubſiſtere regis maieſtatem: vt cognoſcamus etiam in humili tugurio & cella, ſub cilicio & ſacco, hominis Dei dignitatem? ſpernendus nemo eſt, etſi humilis & abiectus appareat: cum externus apparatus ſolis hominum oculis ſatisfaciat, Deo, nemo ſine cordis munditia placeat. Alexius poſt patrem verus totius familiæ dominus, ac legitimus heres, ſic a lugentibus abſentē parentibus ac ſponſa ſępe appellatus, pro mendico tamē habitus eſt, quia in gradu ſuo non ſtetit, ſed infra gradus ſuos delituit. Audiuiſti viri patientiam atque humilitatem, ac finem, vidiſti. Ille qui primariæ nobilitati ampliſſimas coniunctas opes, ac ſponſam ipſam pro Deo contempſit, viſitationem ac venerationem ſummorum principum meruit quorum beneuolentiam ac dignationem ad ſummum ſperaſſet, ſi Deo ad ſublimia eum per abiectionem vocanti non paruiſſet. Etiam in corporalibus videmus quod infima cacumen ædificij ſuſtentent. Et quidem rudiores lapides ſunt, qui totam machinam reguut:

gunt; quorum tanta eſt in ædificando æſtimatio, vt latentium ſub terra expenſas, plerique æquales faciant, ijs, qui in conſpectu omnium, ſuo ordine diſpoſiti apparent. Sanè eodem pretio empti ſunt, qui in vili conditione veluti ſub terra latent, quo abundantes opibus; ſtrenui in bello, ſapientia præditi, proſapia illuſtres, in dignitate conſtituti. Pro omnibus Chriſtus mortuus eſt: ex cuius morte vitam haurient, qui peccatis, mortui, iuſtitiæ vixerint. Vanum eſt ante lucem ſurgere; hoc eſt Chriſto (qui vera lux eſt) ſe præferre. Ille ſe Chriſto præferre præſumit, qui vult hic excelſus eſſe vbi humilis ille fuit. Atque ille quidem homo fieri dignatus eſt, Deus eſſe non deſiit: ſic qui dignitatis auctoritate fulgent, ſapientia pollent nobilitate decorantur, diuitijs abundant, corporis robore præſtant, tunc maximè ſpectabiles ſunt, cum per humilitatem ſe Deo ſubijciunt, atque hominibus ſola benignitate ſuperiores eſſe contendunt. Comparatus hominibus homo, rerum huius mundi dominus dicitur: Deus illi has omnes veluti vineam locauit, vt villicationes ſuæ rationem ſuo tempore reddat ac ſibi quidem emolumenta omnia ſeruet, domino verò prudentiam, di-

ligentiam ac fidelitatem ſuam probet, vnde veri Salomonis magnificentiæ liberalitatis ac ſapientiæ gloria vniuerſo mundo magis innoteſcat. In manibus Dei ſortes hominum ſunt: & ſi nemo eſt qui in terra pedem figere ſine naturæ auctoris auxilio valet: quis ad cœlorum regnum euolare ſe poſſe, ſine Saluatoris miſericordia, ſperet? temerè conqueritur quis, ſe ex patre claudo, cœcum natum eſſe, cum qui in corpore integro valetudine proſperrima vtitur, non iure id ſibi vendicet, ſed ex datoris liberalitate. Ad imperium non omnes nati ſunt, non omnes ad primarios reipublicæ honores atque amplas opes. Plurimos anguſtia paupertatis premit, non omnia ingenia ſtudio apta ſunt, neque omnia corpora labori. Si cauſam quæris ex parte hominum: ſine proprio merito plerique ijs bonis gaudent, ſine culpa ſua, mala illa patiuntur, non tamen ſine cauſa; quam temere inueſtigamus. Cum Deus Iſmaeli prælegit Iſaacum. Eſau primogenito Iacob: Eliabo Dauidem: an in iudiciorum ſuorum incomprehenſibilitate humilitatis prærogatiuam exprimere voluit? videmus ex eiuſdem tori filijs, patrem, ſolum natu minimum amplecti (non quod cæteros oderit) an

quia

quia paruuli humiles nemini malum inferunt, omnes patres vocant veluti omnibus ſubditi? benignè excepti à domino paruuli fuerunt: quos ad ſe venientes, non ſolum repelli vetuit, ſed ad regnum cœlorum non aliter peruenturos diſcipulos ſuos, niſi ſicut paruuli efficiantur, iuramento affirmauit. Certum eſt, non dierum ætate paruulos voluiſſe diſcipulos, ſed malitia ac mentis peruerſitate. Otioſos in foro, pater familias inuenit, & ſero admiſſis ad opus, eandem mercedem dari voluit, quam receperunt ij qui pondus diei & æſtus portauerunt. In ſylua quondam facinoroſus, latro, vltimus ad gratiam domini admiſſus, primus ſalutem adeptus eſt; quid eſt hoc? niſi quia Iudæorum ſuperbia retunditur, qui patrem ſe habere Abraham gloriabantur, filio Dei diras pœnas imprecabantur, & gentilium humilitas commendatur, qui ex mera Dei miſericordia ſalutem ſuam proficiſci fatebantur. Diſmas iniquitatis ac pœnæ ſocio, ſuperior factus eſt, cum iuſtè ſe pati agnoſcit pro ſcelere proprio iniuſtè Chriſtũ torqueri pro alieno: humilis tamen, confitetur ſuam iniquitatẽ vt experiatur ſaluatoris benignitatem. Ille pro magno petijt ſui memoriam, cui dominus pro-

promiſit paradiſi ſui gloriam. Quid habemus quod non accepimus? & ſi accepimus, quid gloriamur, quaſi non acceperimus? dona ſua Deus ideo ſic hominibus diſtribuit: vt per gratitudinis affectum vnuſquiſque ad benefactorem ſuum redeat, ſapientiæ ac ſcientiæ Dei altitudinem admiretur, iudiciorum profunditatem timeat: non vt proximum ſuum, de donis acceptis, ſuperbiendo deſpiciat. Si innocens tibi reſponderit quod fermè omnibus careat, quæ apud homines in æſtimatione ſunt ac pretio, quia Deus ſemper benedictus ei nihil horum largitus eſt: an dices ideo contemnendum quia Deus ei non dedit? quin potius tu puniendus es quia donis Dei contra Deum pugnas: ſi verò propter culpam iuſte ijs priuatus eſt, vide ne deterius tibi aliquid contingat qui quò ſublimius erigeris, eò lapſum grauiorem formidare te oportet. Ille facile ſeruabit humilitatem, qui meditari non ceſſat, humanæ conditionis vilitatem. materiam ex qua corpus hominis immediatè formatum eſt, ne nominare quidem ad modeſtiam pertinet. Infœlix hominis ortus eſt: ita indicant lachrymæ naſcentis: periculoſus exitus; ita ſuſpiria morientis. Væ recens nato ſi parentes eum deſerant. Iumenta, dum intereunt

in puluerem ſuum redeunt: homo quia peccaſſe ſe nouit, pœnituiſſe ſe vti oportet, multum dubitat ignem timet. A puluere poſt mortem reuocandus, arſurum ſe in corpore in illo igne horreſcit, qui ſemper ardebit, & nihil in puluerem rediget. An fortè qui diuitijs abundat, ſe cæteris antecellere exiſtimabit? ampliſſimas opes iuſte acquiſitas, pauci credunt, maxime ij qui cum magno ſtudio & labore eas quærerent, vix ad mediocrem fortunam peruenerunt. In deſpecta hebræorum gente non deeſt, opulentus quidã qui propterea vilis eſſe non deſinit non ſolũquia vſuram non abhorret, ſed quia ſine virtute, propter ſolam pecuniam, nemo ſapientum laudem conſequitur. non putet quiſquam ſe per hominum applauſum & mundanam gloriam, magnum & conſpicuum fieri, cum ex falſa plerunque opinione & ſimulato fauore, ſimilia pendeant. Neque ob famulorum comitatum quis magnopere ſe exaltet, cum ſæpe accidat ob fortunæ aduerſæ caſus, virum nobilẽ plebeio inſeruire mercenarij, fortunam proſperam domini amant, non perſonam. Pone quod fœlix eſſe deſinat tunc ſolitarius eſſe incipiet, cum tale genus hominum, liberalitatem domini magnificare ſoleat, frugalitatem anguſtiæ œconomicæ propriam

reſpuat. Sunt qui in veſtimentorum faſtu, ſitam eſſe perſonæ æſtimationem ſibi falſo perſuadent, cum nihil magis ſic hominem Dei dedeceat, quam ornando corpori illi (quod breui vermibus in eſcam dandum eſt) tanta temporis iactura, operam ſuam impendere. Ex vermium viſcoſitate, pecudum lana, animalium pellibus, terræ metallis, homo ſublunari creaturæ à Deo præfectus, laudem quærit! Etiamſi veſtis tam corpori quam conditioni adaptata fuerit: tamen ſic ornatus, ſi vitio alicui mancipatus fuerit, non teget animæ maculam. Si multo auro textum ſuperimponas beſtiæ ſtratum, feret quidem, quod admirentur circumſtantes, ſed non deſinet eſſe vilis. Ij qui in veſtimentorum pretio, ſcandalum non patiuntur (cum non dedeceat viros primarios ita emere, vt mercator numquam alias venditurus, merces ſuas diſtrahere valeat) damnant tamen aliquorum leuitatem, qui in corporis ornatu, non ſolum patriæ conſuetudinem, ſed & ſexum mutaſſe videntur. Propter corporis roboris, quis ignauis formidoloſus cæteris hominibus ſe præferre audet. Sed in hoc à plerisque beſtijs vincitur, quas domare nouit etiam in corpore infirmo, ſagacis viri induſtria.

Videbis

videbis huiuſmodi gigantes in curſu velociſſimos, dum fuga ſaluti ſuæ conſulunt, non inſectante eos bellatorum equitatu, neque boum armento, ſed deſtinato ad lanienam exiguo animalium numero. Merito nobilitas animoſum hominem facit, ſed non eſt, cur inde ſuperbiat, cum nihil maiorum virtus conferat, ſi nepotes degenerent. Propter virtutem, & quidem præclaram, ex reipublicæ maſta, à communi hominum conditione, aliquem ex auis tuis, ſupremus princeps ſegregauit; virtuti datus honor eſt: quam qui ſectatur nobilitate fulget, etſi obſcuro loco natus ſit. Imò neſcio quomodo, ille magis reſplendeat, qui ex parentibus à virtute prorſus alienis, ipſe tamen fuerit de virtute mirabilis. Ad opera honorifica, tot ſtimulos vir nobilis habet, quot præclaros familiæ ſuæ numerat prædeceſſores. Ille qui obſcuro loco natus eſt multum laborat in abſtergenda primum familiæ ſuæ fœditate, deinde in fundanda nominis ſui claritate. Scientiam alij iactant, atque inflati cæteros contemnunt. Sanè paucos reperiri exiſtimo, qui in multis ſimul ſcientijs excellunt. Nec miror à quibuſdam principibus, magnis prœmijs huiuſmodi viros allectos fuiſſe; vt è regio-

me

ne longinquà magnificis ſumptibus proficiſcentes, aulam illorum perſonaliter adirent. Inter antiquos ille ſapiens reputatus eſt qui hoc vnum ſciuit ſe nihil ſcire. Pete ab ijs qui multa ſe ſcire arbitrantur, vt tibi definiant formicam, ſtellionem, lupum, gygenam, contrinam, paſſerem, & picam. Admiramur omnes auium, piſcium, atque animalium terreſtrium innumeras ſpecies: ſed ignoramus ſpecificas illarum differentias. Innumerabilia alia ſunt, de quibus in ſpecie pauca tractant Philoſophi, & quorum naturas imperfectè cognoſcimus, a vitæ breuitate impediti, & ad magis ſeria negotia vocati. Qui multum in ſcientijs profecerunt, aut profundiſſimæ humilitatis eſſe ſolent, cùm optimè nouerint quod longe plura ſint, quæ neſciant, ſeu à ſuperbiæ vento elati, turpiter defecernnt, à maiorum grauitate & ſana doctrina ad figmenta conuerſi. Quæ ab hominibus nobis narrantur, meritò non leuiter credimus, niſi intelligamus, ſed quæ per reuelationem diſcimns, numquam benè percipiemus, niſi firmiter crediderimus. Nemo cum maiori periculo ſe exaltat, quam qui diuinæ gratiæ dona ſibi arrogat, vel in proximo ſuo non conſiderat. Quod nullius noxæ

noxæ grauis ſibi conſcius bene ſperet licitum eſt, modo iudicium Dei timeat. Sed cum proximo ſuo ſe præponit, iam eleuari incipit & ruinæ proximus eſt, cum fundamentum humilitatis (per quam, ſe omnibus, quis viliorem credit, ac pronunciat) de loco ſuo dimoueri contingit. Cum nemo ſciat an amore an odio dignus ſit, etſi ſollicite cum Deo ambulet, egregiè ſibi conſulit, qui ſub potenti Dei manu ſe humiliat ac præclara omnia de proximo ſentit. Sane ſi ab humilitate paulíſper recedendum eſt: hæc ſola ſuperbia decet eos, qui Chriſtum venerantur; videlicet nulli ſeruire turpitudini, & mentem ſeruare in libertate, morumque puritate.

HARMONIA.
VIRTVTVM.

QVod in arca (quæ ad ſaluandum genus humanum fabricata fuit) omnia genera animalium pacifice degerent: Eccleſiam Dei figurabat: in qua cum agno lupus, cum pardo hædus & cum leone ouis ſimul moratur: vel conuerſa hominum crudelitate in manſuetudinem, vel victrice malitiæ hominum Dei patientia. Saulus lu-

pus rapax à domino proſtratus eſt vt erigeretur, percuſſus vt ſanaretur: quem nominari ſibi Ananias timuit: & cui tentanti ſe iungere diſcipulis in Ieruſalem, non crediderunt eum eſſe diſcipulum. Et quidem eundem dominum prædicantes, de Saulo dubitabant, cuius perſecutionem audierant, conuerſionem non planè cognouerant. Plurima in Eccleſia Dei obſeruabis quæ ſibi contraria forinſecus apparent, cum ad vnius Dei gloriam tendant. Quid commune habet, militum ſtrepitus cum religioſorum quiete? Quid magnificentia aulæ cum mercatorum officina? & tamen ſicuti ex lecto religionis aſſumendi aliqui ſunt ad regnum; ita ex molendino negotiationis & ex agro gubernationis, percutiunt parentes vt ſanent, & ob corporis dolorem magis clamare faciunt filios ſuos, quos ob nimiam garrulitatem corrigunt & ſilentium docent. In vno eodemque homine quædam ſibi veluti repugnantia: mirabiliter Philoſophia Chriſtiana connectit. Sciunt plerique Deum eſſe & credunt, per humilitatem ſuis viribus diffidunt atque humi iacent, magnanimi cum Dei auxilio heroica aggrediuntur: hilares, in Dei bonitate ac miſericordia

dia ſperantes vitam tranſigunt : ſed pauidi, iudicia Dei admirantes, ſępe contremiſcunt. In grauitate ſuauitatem ſeruare norunt, in ſubiectio- libertatem, in feruore diſcretionem, in iuſtitia miſericordiam, in iuſta vindicta clementiam. Ex omni ligno virtutum diuini amoris ignis ſtruitur, currentibus hominibus in odorem atque odorante Deo ſuauitatis odorem. Ab vno expectat homo Dei, quod à Deorum pluralitate fruſtra gentilitas poſtulauit. Ab vno timet quod vniuerſa dæmonum turba, nemini poteſt infligere, niſi prius à Deo receſſerit. Ex eo quod nihil in hoc mundo reperibile eſt, quod appetitum hominis ſatiat, ad creatoris ſui amorem impellitur; & cum videt improbum, qui hic in delicijs fuit, ſinè tribulatione decedere : iuſtum verò vndique coanguſtatum gemere, abſque conſolatore : immortalis animæ ſtatum diuerſum iuxta vniuſcuiuſque merita, à Dei iudicio præfinitum agnoſcit. Quod Deus peccata hominum diſſimulat, & non ſtatim peccantem plectit, pro bono omine accipit: vt de venia peccator non deſperet, modò tempeſtiuè reſipiſcat. Magnum quoddam eſt; vt qui viliſſimus, ſupremam maieſtatem contemp-

ſit per pœnitentiam mundatus cum principibus ſedeat & ſolium gloriæ teneat; ſed verax eſt, qui id dixit, fidelis, qui promiſit potens qui præſtabit. Dignus eſt Deus, quem ex toto corde diligamus, etſi beneficentiam ſuam non fuiſſemus experti: quanto magis cum per fidem didicimus omnia quæ habemus ab infinita eius bonitate profecta eſſe & maiora nobis parata, Ad mare flumina redeunt vnde exierunt: ad Deum nos tendere ſummo ſtudio oportet: à quo ideo exiuimus, vt ſolum quærendo, diligamus. Prudentis viri eſt, ad finis ſui conſecutionem, idonea media adhibere, impedimenta tollere, Nihil tam contrarium amori Dei eſt: quam quod quis tam ſeuerus in proximum tantum ſibi indulgeat. Angelis ſuis Deus mandauit de te: vt diſceres proximo tuo eſſe Angelus. diuinam opem imploras: vt tuam miſeriam ſubleuet: fac proximo tuo, quod tibi fieri optas à Deo tuo. Cum in furore Dei argui non velis de peccato tuo corripe proximum peccantem in lenitate tua. ſicuti benefacere te iuſſit Deus, ei quem anteà non vidiſti, ita & retribuere ei à quo beneficium accepiſti. Præcipitur tibi vt egeno de ſubſtantia propria largiaris: mul-

to magis, vt rem alienam apud te latere non patiaris. Non leue eſt honoris ac famæ damnum cuiquam intuliſſe: pro quo bona ſua ac vitam ipſam, vidimus homines periculo ſępè expoſuiſſe. Dum Iſraelitæ Moyſen ſibi loqui poſtulabant, maieſtatem Dei veriti ſunt: auctoritatem in Moyſe venerabantur. non aliter iuſſa Dei, populo Moyſes promulgauit, quam ſi Deus loqueretur: vt ſciret vnuſquiſque ſe Deo deferre honorem, quando hominem, Dei miniſtrum in dignitate conſtitutum reueretur. viliа quædam animalcula homini magnam moleſtiam afferunt, ſed magis vexant, quam noceant. Quis non obſtupeſcat: quod ea (quæ cum brutis homini communia ſunt) eum à via virtutis aberrare faciant? quod corpori infirmo medicina: hoc, ſano, cibus & potus eſt. Si nimium de medicamento ſumpſeris, veluti venenum vitam tibi adimit. Si in cibo & potu exceſſeris, ſanitatem proiicis. Non leges quemquam multum in vitæ ſanctitate profeciſſe qui carnis deſiderijs, in rebus quidem licitis, repertus eſt, frequenter indulſiſſe. Delectatio corporali actioni adiuncta eſt; vt moleſtiam leniret quam ſubire neceſſe eſt, vt vitam homo in indiui-

diuiduo, atque in ſpecie naturam conſeruet. Percutit filium ſuum pater qui ad ludum litterarium miſſus in platea ludendo, moram trahit; atque epulones quidem, non ſolum in delectatione hærent: Sed finem non attingunt, vt in corpore ſano diu viuant, cum potius vitam deſtruant; incontinentes verò onera coniugij dedeclinant, delectatione contenti ſunt, & præter intentionem nata prole triſtantur. Parum eſt ſi parentibus honorem deferimus, ac patriæ obſequia præſtamus, cum irrationalibus animantibus quoddam pietatis veſtigium ineſſe cernimus. Aues multæ ſuos nidos repetere ſolent, & ciconiæ impotentes ad volandum parentes ſuos ſubleuant. vnica virtus Deo propria eſt (quam Chriſtus Dominus, hominum pectoribus inſerere verbo & exemplo tam ſæpè exoptauit) nimirum vt in bono charitatis vincere aſſueſcant, improborum iniquitatem. Charitatem (quam familiæ Saulis Dauid exhibere decreuerat) miſericordiam Dei vocat: cum abſtruſa eſſet à mentibus hominum miſericordia conferens gratiã ei qui expectabat vindictam. Serpentem in ſinu ſuo fouet, qui diuitias immoderatè congregatas reponit. Illæ veræ diuitiæ ſunt: quas

ſures non effodiunt, neque tinea demolitur. dedit tibi Deus temporalium abundantiam; fac vt neceſſitati tuæ ac neceſſariorum tuorum proſpicias, nec pauperum deprecationem deſpicias. Ampliora ſunt, quam vt conditioni tuæ conueniant: eſto princeps illorum, quos magnificentia tua ſubditos facit, cum facit alumnos. Pro Rachele Iacob per ſeptem annorum ſpatium, duros cum alacritate labores ſuſtinuit, ſub nuptiarum ſpe: quo elapſo ſubſtituta ei lia eſt, neque tamen in defraudato, Rachelis amor refriguit. Forſan ex duabus ſororibus, illa in lippis oculis, præſentem vitæ fœlicitatem deplorandam ſignificabat: hæc futuræ expetendam amabilitatem. Et quidem Homo Dei Iacob, pro vna laborauit, & vtramque adeptus eſt, nos verò, cum nimia ſollicitudine præſentem quærimus, futuræ incerttudinem, meritò extimeſcimus. Intimus magni principis aulicus, in vitæ diſcrimen, ob regni miniſterium adductus; cum fortè inuitaretur, vt ſeruire deſiſteret ac deſiſtendo timere: reſpondiſſe fertur gregarium militem pro exiguo quatuor aureorum ſtipendio, mortis pericula indubitanter adire: non mirum ſe pro extremo remedio fu-

gam ſeruare, vt in florentiſſimo regno eſſet à rege primus. Vide quid gregarius ille facit pro tam parua pecunia: quid aulicus pro terreni regis gratia. Minus à te exigitur pro regno cœlorum, & lento gradu ac timidè vexillum Chriſti ſequeris? cum vita hominis militia ſit ſuper terram: pugnandum omnino eſt: & ſi quis à Dei exercitu ſe ſeparat, timendum eſt ne per manus inimicorum occultè, ei inſidiantium, intereat. Deus tibi martyrij gloriam negat, cum tyrannorum crudelitati, Eccleſiam ſuam in hac orbis parte ſubtraxerit. Fortè voluit: vt ſcurra quidam tuus Nero ſit ſeu homo inurbanus, tuus Diocletianus, ad patientiæ exercitium. Miſericorditer Deus pœnitentem in hac vita per hominem flagellat, qui in peccato ſuo morientem iuſtè per dæmonem, in æternum cruciandum, damnat. Videat Deus humilitatem tuam: notam fac proximo modeſtiam tuam: nec nimium tibi conniueas ne malè amando pereas. Qui ſapientia indiget: petat in fide nihil hæſitans: dabit Deus poſtulanti auxilium, qui non quærenti vnigenitum dedit filium. Harmonia diſſimilium vocum concordia eſt. Alta vox eſt, dicentis ſe omnia poſſe,

pro-

profunda, ſe omnium peripſema factum eſſe. Rectè ſupra baſſi graui-tatem fundat muſicus acutæ vocis ſublimitatem, quam media vox con-iunctam tenet profonditati. Homo Dei per diuerſos virtutum gradus, aut aſcendit ad altitudinem comtem-plationis, aut deſcendit ad opera miſerationis. Diſcrepantes inter ſe in multis, Chriſti cultores, in Dei Eccleſia, nectit fidei vnitas, quæ diſſimilia apparent in homine Dei ingenioſa compaginat Charitas.

VIRTVS STATVVM.

HOminis ſtatus propriè libertatis vel ſeruitutis tam in ſpirituali, quam in ciuili politia, conditionem reſpicit: cuius varietas, ſicut etiam officiorum, ex actionum diuerſitate naſcens diſtinctio, ad decorem, digni-tatem, vtilitatemque Eccleſiæ eſt ne-ceſſaria. Soli Deo noti ſunt viatores, qui iuſtitiæ ſerui, à peccato liberi ſunt. Nos autem ſicuti extra arcam noeti-cam, neminem ab aquarum diluuio liberum, nullum extra Eccleſiam Dei hominem Dei agnoſcimus: ita de ijs qui credunt plurimum anxij, teme-re tamen dicta, vel facta cuiuſquam

interpretandi licentiam improbamus. Inter eos, qui honeſtam potius ſeruitutem, quam probroſam libertatem elegerunt quidam contemplationi veritatis præcipuè intendunt; quidam verò principaliter exterioribus actionibus: alij ex vtroque extremo mixtam quandam vitæ rationem ſuſcipiunt. Omnes in viſibiſili Eccleſia ex his vnum vitæ ſtatum ſeligunt: vt ad inuiſibilem hominum Dei ſtatum gradum ſibi faciant, ſeu ab acquiſito non decidant. Tria potiſſimum dona homines Deo offerunt. Primum quod ab illicitis abſtinent, & quædam ſibi licita propter Deum contemnunt: alterum quodſic oblata vouent denique quod ſeipſos totos Dei famulatui dedicant. Præcipua Epiſcoporum in Eccleſia Dei laus eſt: quia totam vitam ſuam, ad curam animarum obligant, parati pto Dei honore, & ſalute ſui gregis, omnia ſua contemnere cum opus fuerit, vel pauperibus ſui gregis largiendo, vel rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſtinendo. Religioſus totam vitam ſuam obligat ad perfectionis ſtudium: quem ſicuti Presbiter (cuius officio quædam particularia circa curam animarum commiſſa ſunt) cum propter exteriora pericula, in officio curæ

ani-

animarum maiorem difficultatem ſubeat, perfectione antecedit: ita Sacerdos ad digniſſima miniſteria deputatus quibus ipſi Chriſto ſeruitur in Sacramento Altaris: ordinis dignitate. Sunt qui ex propria culpa virginitatis iacturam fecerunt, & cœlibatum profitentur. Quidam, deliberantes, eam ſeruant; vt tutiori loco conſtituant, vel communi reipublicæ bono dedicent. Vidua virginitatem amiſſam plorat: non quia de crimine erubeſcit, ſed quia forſan mater familias, graue regiminis onus, iam ſola ſuſtinet. qui domunculam ædificare vult, prius de ſumptibus cogitat, qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum, multo magis qui turrim erigere decreuit. Tunc laudabile erat Epiſcopatum quærere, quando per hunc dubium non erat, ad ſupplicia grauiora peruenire. Nunc autem, cum vtilitati proximorum, celſitudo gradus coniungitur. quam comitatur reuerentia & honor ac temporalium ſufficientia: non tam proximorum ſaluti conſulere, quam ſeipſum velle exaltare præſumitur, quicumque ad munus Epiſcopale non vocatus aſpirat. Et quidem cum Angelo vna hominis anima commendata ſit, quis ſapiens vltro ſe ſubiiciat

ſeruituti & periculo tali, vt pro omni Eccleſia rationem reddat. primatus fugientem ſe deſiderat, deſiderantem ſe odit. Qui vita & ſcientia ad Epiſcopatum idoneus eſt, & non petit dignitatis honorem, in humilitate proficit; qui oblatum, dignus, non recuſat obedientiam ſuo ſuperiori defert, ac proximiorum ſaluti conſulit. Cum veterano hoſte bellum init, qui curam animarum ſuſcipit: aſtutus, potentem contra paſtorem ſuſcitat, vt per timorem deijciat, munificum: vt auaritiæ ſordibus inuoluat conſanguineum: vt nimiæ teneritudinis iaculo confodiat. Et ſi per varias illecebras allectum, ſordidæ carnis voluptati, eum ſuccumbere contigerit: vel per nimiam conniuentiam, alieni criminis particeps erit, vel minus idoneus vindex. Dum Apoſtolus irreprehenſibilem Epiſcopum vult,in vno homine, totam Eccleſiam inſtruit. Sane ſi de eo intelligit, qui numquam peccauit, vel Angelum quærit, vel cum pauci ſint, qui è ſacro baptiſmatis fonte, hauſtam innocentiam ſeruauerunt, irreprenſibilem etiam dicet, qui peccata præterita ſalutaris pœnitentiæ lachrymis abluit, charitatis operibus inſiſtit, iuſtitiam ſectatur. Ex peccati veneno

hanc

hanc theriacam cœleſtis medicus conficit: vt qui peccauit, non inſultare, ſed miſereri ſubdito ſoleat, & magis ad clementiam, quam ad ſeueritatem propendat: ſubditus vero vitæ innocentiam æſtimare diſcat, cuius iacturam tanta ſeueritate in ſeipſum ſuperior redimit, tanta patientia in ſubdito tolerat: vt omnes ante ſupremi iudicis tribunal, vel innocentes vel pœnite ntes ſe ſiſtant. ad ſimplex ſacerdotium, ſine periculo ſe aſpirare vnuſquiſque exiſtimat: cum neminem Eccleſia reiiciat, qui ex legitimo matrimonio procreatus, in corpore ſano, mentem bonis artibus excoluit, virtutem moribus expreſſit, ſtabilita facultate, officij decori proſpexit. Quid ergo viros vitæ ſanctitate conſpicuos adeo perterruit vt (niſi coacti obedlre ſuperioris mandato) ſacrum Presbyteratus ordinem non ſuſceperint. & qui ſuo arbitrio relicti ſunt, numquam auſi ſint ad tremenda myſteria peragenda ſacris initiari? iocos in ore Sacerdotum eſſe blaſphemias Bernardus aſſeruit. Pone cum emphaſi locutum ſerium hominem Dei: ſane probroſa eſt in ore Sacerdotis ſcurrilitas, quæ contumelia præſentes afficit, detractione abſentes lacerat ac mortuos inhonorat. Anguſtæ

guſtæ paræciæ rector, paruam quandam prouinciam ſe ſuſcepiſſe arbitrabitur, ſi eam cum Epiſcoporum ſollicitudine comparet: Sed ſi animarum dignitatem benè perpendimus, cum vna hominis anima ſit vniuerſo mundo præſtantior, quid mirum ſi plerique tanto oneri impares ſe eſſe fateantur, dum Satrapam ad reddendam prouinciæ rationem, vocatum trepidantem vident? Illi verò qui ob lucra temporalia,aliorũ ſalutiinuigilant propriã negligunt ſimiles illis fabris ſunt, qui olim ſua opera in extruenda arca, alijs parauerunt ſalutis viã,ipſi diluuio perierunt. Qui ſtatum Religionis aſſumit, imperfectionem ſuam fatetur, alijſque ſe ſubiicere ad ſpiritualia capienda intendit: quod licere vnicuique affirmat Auguſtinus: cum nemo à ſtudio cognoſcendæ veritatis (quod ad laudabile otium pertinet) prohiberi debeat. Sed videndum eſt, an ad capeſſendum religionis ſtatum pura veritas attrahat, an dura neceſſitas impellat ſeu deploranda vanitas alliciat? Etſi valde conſpicui ſint, qui propter ſtatum perfectionis imperia ac regnorum ſpem contempſerunt; cum pauci illi fuerint ob regnorum exiguum numerum magna eſt in Dei Eccleſia, illorum hominum laus

qui

qui relinquentes non ſolum omnia quæ poſſident, ſed & ipſam quoque habendi, ac poſſidendi cupiditatem, non ob alium finem religioſæ vitæ inſtitutum ſuſcipiunt, quam vt remotis mundi huius impedimentis arctius & fortius Deo ſuo adhæreant. Ij qui quærentes in luſu chartarum triumphum, vel bonorum affluentiam, pecuniæ ſuæ iacturam defluentes inuenerunt: ſeu quibus infœliciter alea cecidit: nihil indecorum ob paupertatis anguſtias, gerere (ſi honeſto loco nati ſunt) firmiter proponunt. Qui maiori commiſeratione digni ſunt, ſi per parentum prodigalitatem ſeu incuriam, in tantam calamitatem deuenerint. Vndè cum deficiente patrimonio, alia vitæ ratio ineunda ſit: deliberantes hærent pauliſper: an per principis liberalitatem in aula damna ſua reſarcire, tentaturi ſint: an in bello per brachij fortitudinem atque animi generoſitatem: an verò per aſſignatos alicui monaſterio prouentus: quibus certo religioſorum numero, de rebus corpori neceſſarijs, proſpicitur. Non ſine paterna Dei prouidentia (cui non eſt impoſſibile ex hominum malis, optima producere) hi gratiæ terreni principis incertitudinem perpendere incipiunt, ac certas

certas fermè æmulorum calumnias; belli pericula, ex quo nimirum ſæpius, mutilati ad ſuos redeunt quam iuſtè acquiſitis bonis, ditati, ſeu nouo honoris titulo decorati: hinc eſt, quod ſeruire Deo eligant, nihil aliud expectantes à monaſterij prouentibus, quam vt per illos, rerum temporalium ſollicitudinem amputent, ac mere neceſſarijs corpori proſpiciant. Viles ſunt, qui cum per religionis ingreſſum, animi quietem deſiderare videantur, corporis labores fugiunt: ac rerum temporalium ſollicitudinem per monaſterij prouentus, non ideo declinant, vt ſpiritualibus operibus intendant; ſed vt ſinè moleſtia, corpori ſuo ſubueniant. Ex ſummorum Pontificum æquitate (apud quos perſonarum acceptio non eſt, cum ob virtutem, ac variarum rerum ſcientiam atque experientiam, etiam obſcuro loco natos ad primas Eccleſiæ dignitates ſæpè euexerint) nonnulli agreſtes ſpem conceperunt: vt reiecto aratro ac bipalio, per ſtudiorum vtilitatem, ad ſublimem quendam honoris gradum peruenire valeant. Qui videntes vnum ex conterraneis ſuis primo ad ordinem admiſſum (in quo non ſolum obſeruantia regularis viget, ſed

ſed & variarum rerum ſcientia floret) deinde per magiſterium ad Epiſcopatus gradum, euectum fuiſſe: non vulgare ſalutis, ac perfectionis, ſimulant deſiderium, vt admitti ad hominum Dei cœtum mereantur, ſed tacitè, religionis expenſas, bibliothecæ commodum ac profeſſorum ſudores à fine debito, detorquent. Nobilium pietas (quæ deoſculando religioſorum veſtes, promiſcuè cum Sacerdotibus, laicos, patres ſubinde appellat) non volens, anſam dedit quibuſdam de infima plebe: vt ſinè magno onere, honorem, ſinè ſudore panem ſuum in religione quærant. Idem fermè in fœminis ſæpè accidit: quæ matrum ac ſororum ſpecioſis nominibus, inſigniri cupiunt, atque in fœminarum illuſtrium conſortio (de temporalibus ſolis ſollicitæ) moderato labore vitam ſuam tranſigere: cum domi ſuæ deſpectæ, obſonium non nouerint neque vllam prorſus humanitatem vmquam expertæ ſint. Per primogenita illuſtrioribus Familijs prouiſum eſt, vt cum ſplendore ad perpetuitatem tendere valeant. Si enim æqualis daretur fratribus omnibus ſubſtantiæ portio: fortè antequam ad longinquam regionem peruenirent patrimonium ſuum prodige effunde-

effunderent. ægrè ferunt nonnulli, hanc maiorum ſuorum diuiſionem, ſed cum ſplendidè ijs viuere non liceat, ob defectum facultatum, ſecundum patris exemplum: honeſtæ mortis pericula aggrediuntur ad Paganorum exterminum. quando ita familiæ conſulitur, vt bonum animæ penitus negligatur: damnanda eſt primogenitorum gloria, qui minores natu fratres ſine dolore aſpiciunt deſtitutos Dei gratia. Parochus conſenſum à virgine petit vt viro nubat: ſed nutu contentus eſt, cum in matrimonij lege aliquid reperiatur, de quo virgo erubeſcit, qui ad ſtatum religioſum illam admittit, cum valde laudabile ſit, ſatanæ pompis abrenunciare) claris verbis expreſſum à virgine conſenſum meritò poſtulat, certus de parentum voluntate, quod modico ſumptu eam dimittant, dubius an Virgo ſponte omnia deſerat. Ex œconomiæ legibus (quæ ob familiæ ſplendoris conſeruationem, natu minoribus, exiguam quandam portionem attribuunt) proſperum ſæpè diuina prouidentia oriri effectum voluit, dum natu minores, terrenis bonis contemptis ad cœleſtia ardenter aſpirant. Iucundum homini Dei eſt audire non aliunde ortam fratrum diſcor-

diſcordiam, quam quod aliqui ex illis bona omnia minori cedant: ille pietatis exemplo, motus, gratis oblata reſpuat. Bernardus cum fratribus per arctam religionis ſemitam ad cœlum properans, natu minori omnia bona terræ obtulit: cui generoſus adoleſcens, iniuſtè ſecum agi reſpondit: vt illi cœlum raperent, ſibi terram relinquerent, ac ſpretis mundi delicijs, vt erat fratribus ſanguine coniunctus, ſic ſtatuit eſſe electione. paruum in domibus nobilium damnum eſſe ſolet, ſi quis ex filijs claudicet, gibboſus pauliſper ſeu luſcus appareat: cum currus & equus claudicare eos non faciant, molle puluinar gibbum abſcondat, ſeruus pro domino videat. eiectum è ſynagoga cæcum, quia veram Deo gloriam dedit, iam videntem, benignè dominus ſe ſequentem fecit: ſic ſperent mutuli, ſi mundus eos deſpicit, ſe à domino recipiendos. Et ſi corpore integro, nihil minus fratre ſuo natu maiore habeant quã paucos ętatis dies cur cum temporalia primogeniti eligant, meliora minoribus offerant; ea non toto corde complectantur? hanc œconomiæ maximam, veluti cum lacte in domibus nobilium pueri ſorbillant atque à nutrice diſcunt

vt

vt poſt primogenitum , qui familiæ propagationi , & primâ puellam,quæ contrahendæ cum primaria familiā affinitati deſtinatur : reliqui honeſtam quandam vitæ regulam (quæ paucis expenſis , & cum laude ſuſcipitur) ſibi eligant : vt duplici honore inſignita ad poſteros , familia tranſeat , videlicet *ſæcularis poteſtatis* ac *religioſæ paupertatis* . Non ſolum mares hoc capiunt quod per diuiſionem bonorum , familiæ ſplendor diuturnus eſſe nequeat ; ſed & fœminæ fratris ſui honorem proprijs commodis voluntariè præferunt . Pone ſecundam ægregiæ formæ puellam peti à viro nobili in vxorem : ſi perſonam non ſine dote amet : videbis quod malit eſſe illuſtris atque opulenti viri ſoror , quam diuitis ac nobilis , cum fratris notabili diſpendio vxor . ſi verò ob naturæ defectum minus ſe deſiderari aduerterit, cum ſine dotis augmento defectus naturæ corrigi nequeant, nouo titulo fratri ſuo addicta , tandem concludit , non velle ſe à terreno ſponſo diligi ſeu contemni . ſæcularis honor vt plurimum aliquo corporis ornatu perficitur ; annulus magiſtrum ornat , toga ſenatorem , gladius & calcaria equitem , Qui ſpirituali militiæ adſcri

bitur

bitur, pretioſa quæque tamquam vilia proiicit, quia in corde ſuo viluerunt, humilitatis ac paupertatis, inſignia aſſumit; vt animi ſubmiſſionem ac terrenorum bonorum contemptum circumſtantibus patefaciat. Quam ridiculum eſt; vt quæ, pretioſa corporis indumenta præſente hominum multitudine, tam generoſè contempſit; cum repetere ea nequeat, in luctuoſo habitu imitari ſtudeat; & quæ gemmam publicè proiecit, de crepidæ ligula ſollicita ſit. Nobilitas religioſe cœtui ſplendorem quendam addit, cum vulgus exteriorum bonorum admiratiuum vix capiat, poſſe ab ignobili quicquam boni procedere: robuſtiores verò ſocietatis, videntes tenuia nobilium corpora macerari: veluti æmulatores ad virtutis amorem magis inflammentur. ſed cum ante mortem neminem tutè laudaueris; ac virtutis ſuorum encomia, vir prudens ab externo decantari malit quam proprio ore celebrare: faſtidio quodam & ſatietate abalienari ab ijs ſolet communitas, qui frequenter, gentilium ſuorum mentionem, cum ſumma laude faciunt, ac tacitè ſeipſos cæteris omnibus præponunt. Nihil noui ingenuæ accidit, quod per ſuſceptæ regulæ præſcriptum caſtitatem

tem colere iubeatur, cum in domo propria, ne virum quidem aſpicere auſa ſit, & non volens ſpectata à loco ſuo diſceſſerit, vt ſe aſpectantem falleret. Ne dixeris inhumanam: ſi familiare cum viris colloquium, iam Deo dicata reſpuat, quæ viri nutum (cui fortè nuptui tradenda erat admittere erubuit, Deformem diues, paupertatis faciem exiſtimat, antequam indigere incipiat & parſimoniæ conceſſam à natura delectationem guſtare. Dario numquam potus ita ſapuit, quam cum ſitiens aquam turbatam biberet; & plerunque ſit: vt qui domi ſuæ cibos omnes, hauſtuſque reſpuit in cœnobio vulgari cibo auidè ſumpto, paſcatur, ac magis proſpera valetudine vtatur. Quam ſit facile viro prudenti, circa externum corporis cultum, laudabilem ſeruare mediocritatem, ex famulorum veſtibus collige, in quas maiorem ſumptum, quam in proprias, magnates inſumere conſueuerunt. adaptata vniuſcuiuſque conditioni veſtis, ſola ornat, ſola honorat. rectè purpurea quis dominum ſuum Cardinalem veſte induit, cum ſic] principem deceat: Pone inferioris ordinis hominem], ex aliquo loco, purpuratum conſpici: dicent prætereuntes illam eſſe, vel inſane-

inſanorum domum vel comicorum tabernam. Quicqnid præter honeſtatem, ac ſanitatem in corporis indumento quæritur, vanitati obnoxium eſt. Non ita diſplicuit Macedonibus Alexander, qui Aſiaticos mores in corporis cultu, imitari cœpit; quam populo Chriſtiano, Monachus: qui reiecta laudabili patrum ſuorum veſtiendi conſuetudine, ſæcularium nouitates imitando, probat. Extra religioſorum clauſtra & caſtitas in honore eſt & paupertas cum tolerantia. Perarduum omnes exiſtimant quod à voluntate alterius, quis ita pendeat, vt non ſolum eius iuſſa promptè exequi paratus ſit, ſed ſibi ea maximopere expedire credat. minus laborant, vt pareant, qui aliquando imperarunt; nam vel ſuperiorum mandata præueniunt, vel iubentibus reddunt honorem iam ſubditi, quem ſuperiores, exegerunt. Tanti ponderis negotium (in quo libertas hominis, alienæ voluntati, perpetuo aſtringitur) etiam ab ijs, non inconſideratè ſuſcipi credendum eſt, qui ſemper alicui ſubditi, paruerunt. Et quidem miles ad bellum ſe præparans omnium malorum terribiliſſimum ſibi proponit: vt moriendum ei ſit niſi victor euaſerit. Leue religio-

nis onus eſt. Si cum militum laboribus & incommodis id comparaueris leue militum proemium, cum coronata religioſorum patientia collatum. Deliberanti notum eſt, quid ſtatus religioſus ab omnibus requirat: quid particularis ordinis regula præſcribat. Poſt factam optimo iudicio electionem: quicquid à ſuperiore iniungitur de longe prouiſum eſt ac volitum: ſed ſi penes hominem rudem atque inhumanum cœnobij regimen eſſe contigerit; illud è memoria tua non excidat, ſub veſte Eſau, latuiſſe Iacob, hominem balbutientem à Deo electum, in populi Iſraelitici ducem ſupra cathedram Moyſi, ſediſſe Scribas, & Phariſæos; quibus obtemperandum eſſe, dominus aſſeruit, cum vera annuntient, etſi indigna perpetrarint. Mulierem viri mors, grauiter perturbat, atque in magnam ſollicitudinem adducit; nam ſi ad ſecundas nuptias citò tranſierit, dicent eam antè viri mortem amaſſe alienum, aut parum amaſſe ſuum, quem non amplius luget. Raro videbis eam opulentiori nubere: vndè acerbum ex opinione dolorem ſuſtinet, quod propter dotis ſuæ amplitudinem, vir eam diligat. Suſpirare vix audet, experta viri inhumanitatem: cum æqualis

æqualis periculi ſit, Virum plangere quem amiſit, quam illum cui nupſit. Ad abſtergendam incotinentiæ atque irreuerentiæ notam (cum curatore negotiorum ſuorum indigeret) diceret ſe ſecundo viro nupſiſſe, vt eſſet ſibi ad honorem, puellis ſuis ad cuſtodiam, maribus ad terrorem: Non defuiſſe ei diuinæ lucis ſcintillam, qua ex mundanæ vanitatis per praxim cognitæ pelago vocaretur ad contemplationis fœlicitatem: ſed hæſitaſſe ſe, cum honeſtiſſimas viduas etiam de rebus diuinis ſubtiliter diſputantes Virgines Deo ſacræ abhorreant, quia tantum ſub viri diſciplina profecerunt: vehementer mirari ſe, huc vſque non eſſe inſtituta pro ſolis viduis cœnobia cum ſolæ Virgines, habitare velint, ne detur occaſio inquirendi à viduis, ea quæ ſemper nocent ac dicendi ea quæ non expediunt: dum impoſſibile ei viſum eſt ad religionem admitti, cum recuperare virginitatem non poſſet, vt apud virgines locum inueniret, proſtituere pudicitiam non deberet, vt pœnitentes mulieres eam reciperent, garrulitati hominum ſe oppoſuiſſe virum, negotiorum ſuorum implicationibus enodandis procuratorem. Intuere modo quam mirabiliter Dei ſapientia in diuerſarum rerum

diſtinctione ordinata, reluceat. ſub Romano Pontifice, viſibili totius Eccleſiæ Dei capite, partem oneris Epiſcopus ſuſcipit, particulam Sacerdos: quibus auxiliares Religoſorum copiæ iunguntur, inter quos, quidam laborant, vt non planè literarum rudis, fidelis ſit, quidam, vt non improbus: alij morientem iuuant ne pereat: peregrinantem, tutum reddunt, qui militiæ ſacræ nomen dederunt: à ſeruitute liberant, qui piorum eleemoſinas ad hunc ſolum finem collegerunt. Magnum in laudabili otio negotium conficit, qui à ſtrepitu ſæculari remotus, in Spiritu Deum adorat & pro ſalute proximorum, diuinam opem implorat. Non ſerit agricola: vt ſibi nihil metat, & qui charitatis operibus intenti, alijs conſulunt, non propterea ſeipſos negligunt. Charitas, quę communia omnia facit, in ſinum amantis reuertitur. ſunt qui coniugij onera, in magna paupertate, patienter ſufferunt, qui cœlibatus ſterilitatem, virtute fœcundam reddunt. Pugnat Virgo, ne placeat, quod neſcit: vidua virilem animum inducit, ne iterum placeat, quod lugens viri mortem abhorruit. Admirare totius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſtatus, officia atque gradus: pulchrè diſtributas regiminis

gimnis ſpiritualis à Pontifice Romano prouincias atque à principibus, diuiſos terrarum magiſtratus; præclarorum virorum miniſteria, qui conſilio & armis dominorum ſuorum onera alleuiant, ac bonis artibus rempublicam retinent; ſpecioſum ſane eſt, quod oculis cernimus: ſed nemini profutura eſt ſtatus atque officij dignitas; cui primo cordi non fuit vitæ ſanctitas.

VIRTVTIS
INCREMENTVM.

SIcuti corpuſculum, quod in vtero prægnantis à natura diſpoſitum eſt, ac vaſtum gigantis corpus, termini animæ ſunt, quos præterire informando nequeat, ſic veluti menſuram gratiæ accepit: vt minima ſit quam in paruulis cœleſti lauacro expiatis accipit: numquam vero ad deiparæ plenitudinem pertingat. laborant omnes vt (cum vitæ æternitatem alimenti beneficio adipiſci nequeunt) ſaltem diuturnitate gaudeant: & qui de ſtirpe gigantum procreati non ſunt, malunt in mediocri ſtatura, parentum ſuorum ſimilitudinem aliquo modo exprimere, quam in enodandis philoſophorum argumentis

contrà inſolitam corporis vaſtitatem, ſubtiliter formatis deſudare. Qui vitam ſuam amat, non negat corpori ſuo neceſſarium alimentum, neque concedit ſuperfluum: atque vbi cibi cupiditas non eſt, ſumitur tamen etſi non ſapiat, cum nihilominus nutriat. Quandoquidem beatos qui in hac vita eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam; cum gloria Dei apparuerit, ſatiandos, atque ab vbertate dulcedinis domus Dei ac torrente voluptatis potandos ſcriptura aſſerat: proprium animæ, hominis Dei cibum non deeſſe indicat, quo peregrinus eſuriens paſcitur, non verò ſaturatur, quia non deſinit eſurire & ſi inimicus per ſæculi amaritudinem facit; vt cœleſtis cibi dulcedinem non ſentiat, vel largitor benignus illam inanis glorię vermibus ſubtrahat: tunc magis in opere ſuo datoris, quam donorum æſtimationem, homo Dei exprimit. Non quantitatis magnitudine, neque officij dignitate ſed virtutis pulchitudine, hominum perfectio ponderatur. Filium, virtute patrem ac ſeruum dominum ſuum anteire non dedecet; nec temete gigantis veſtigia ſequimur, qui de ſummo cœlo egreſſus, in terra dignatus eſt, nos ad Dei imitationem magno præmio inuitare. Per filium acceſſum

ceſſum habemus ad patrem, per matrem ad filium, nam in arcta ſalutis via, immenſum charitati ſpatium relictum eſt in quo ad lumen Solis, & Lunæ, iis qui nouiſſimi venerunt, modicæ vitæ tempore, priſcorum patrum (qui de longè redemptorem ſuum aſpexerunt) non ſolum virtutes aſſequi, ſed & ſuperare, facultas data eſt, ſi impigri ad labores vineam domini excoluerint. Quantum ad virtutis incrementum iuſtorum ſocietas conferat: Apoſtolorum (qui ad prædicandum Dei Euangelium, in omnem terram à Chriſto miſſi ſunt) tam copioſus pietatis fructus demonſtrat ſi enim ad deſtructionem impietatis, tantum valuit, virtutis decor: quid non faciat in amante ſimilitudo probitatis? validum in legis Dei meditatione cibum, homo Dei experitur: in qua ingens virtuti propoſita merces ad virtutem allicit, tremendum incurioſis paratum ſupplicium à peccando deterret. Ex fortuita piorum librorum lectione, ad Chriſti, Sanctorumque ſectanda veſtigia, mirabiliter exarſit Ignatius: ad ſimplicem ſacri Euangelij lectionem, ad mundi contemptum & perfectionis ſtudium attractus eſt Antonius: cur ſi ſeriò legimus, quæ ad omnium doctrinam

ſcripta ſunt: ſi lecta vel audita maturè perpendimus, in nobis idem Dei gratia, non efficiat? ſubcinericio paue Elias confortatus eſt, adeo vt in fortitudine illius per magnam viam, ad montem Dei perueniret. In figura hoc ei contigit. vt diſceret homo Dei, illum panem eſurire, qui ideo de cœlo deſcendit vt ad montem Sion, peregrinus homo confortatus aſcenderet. Ex lachrymis dolorem, ex dolore amorem, ex amore bonitatem vel apparentem vel veram, rectè arguimus. Dauid pueruli in adulterio nati mortem luget: nec damnatæ fuerunt illæ lachrymæ, quas iuxta naturæ leges, pro filio extincto pater, mœſtus profudit: ſed cum fruſtra ſe affligi cerneret, breui lachrymas illas, iacturæ filij indices abſterſit: quid ergo rex potens ac ſemper victor, tam pretioſi amiſerat, de quo poſtmodum tantum doluit: vt per ſingulas noctes in gemitu tuo, lectum ſuum lauaret, ac lachrymis ſtratum ſuum rigaret? niſi quia pro peccato ſuo, in flagella paratus, ſemper in conſpectu ſuo dolorem habebat, qui ortus ex amore Dei ſui (quem peccando ſemel amiſerat) tantam vim lachrymarum congeſſerat vides quo modo homini Dei, ipſamet peccata

pœni-

pœnitentiæ lachrymis abluta ad profectum in via virtutis conducant: nam ſuper niuem innocentis dealbandum ſe ait, qui nouerat ſe ex toto corde pœnitentem. Deſiderantem nihil aliud quam rei acquirendæ difficultas cruciat, cum impoſſibilia nemo seriò deſideret. dicat qui in virtutis via, progredi deſiderat an in reſpirando multum laboret? & ſi facile ei videtur aerem reciprocare: moleſtum fortè erit, diuinum ſpiritum os ſuum aperiendo attrahere. Qui viuentibus ad reſpirandum aerem ſuum non denegat, iuſtitiam & ſalutem æternam ſitientibus, gratiæ ſuæ dona communicat; habenti addit, petenti donat, ac pia omnium promouet deſideria. Si quicquam temporale peteres, quod an tibi expediat, ignoras, vel contra ſalutem ſempiternam aliquid peteres (quod in Chriſti nomine, à Deo petere indigniſſimum eſt) ex miſericordia Dei naſcitur, quod quæ malè petis, non impetres, & quæ tibi non expediunt, non recipias. Verum cum petenti, dominus ſe daturum promiſit, quicquid in nomine eius petitur: quiſquis in via virtutis non progreditur, ſua culpa regreditur: cum nec minima quidem bona terræ ſinè labore congreget, qui Verbo imo

deſiderio, Deum in ſe vocare negligit. Sicuti Deus quædam homini dare non vult niſi petierit: ita niſi magis acceptus Deo pro eo intercesſerit. Neque hoc in impetranda gratia difficultatem parit, cum ſe ad diuina colloquia indignum homo reputat, atque honorificati à Deo fratris ſui patrocinium implorat. inter tot electos, quiſnam interceſſor inuocandus ſit, in animo voluis? per illum te Deus exaudire velle piè credendum eſt, quem ex tot millibus, arcano quodam impulſu, tibi propitium fore, ſperare te facit. Sancta Eccleſia, quæ ad honorem omnium Sanctorum, octauam celebrat, ſpecialem ijs venerationem defert, quorum reliquijs quædam loca exornata ſunt. ſapientiſſimorum virorum conſilium eſt: vt in patronos eos ſanctos eligamus, quorum nomina, nobis ad ſacrum Baptiſmatis fontem, impoſita fuere. Angelos ſub cuius tutela ſumus, qui toti prouinciæ, in qua degimus, præſident, qui principi aſſiſtunt, atque omnibus (quibuſcum nobis negotium eſt) ſpeciali cultu venerari; nihil aliud eſt quam imprudentiæ noſtræ in rebus agendis remedium quærere, & cordis duritiam in proximis emollire. Poſt dominicam orationem, omnes Chriſtifideles cum

Archan-

Archangelo, Virginem beatiſſimam ſalutant: nec facile reperias, qui particulare quoddam, ad Deiparæ honorem ſtatutis diebus, obſequium non præſtet. an in electis Dei ad futuram gloriam, Virgo mater, radices ſuas miſerit: vt nemo ex ijs, qui propenſioris erga eam animi ſunt, fruſtrà eius opem imploret; nemo pereat. Pete à piiſſima Matre: vt aquam tuam in vinum mutari curet, & lachrymæ illæ, quæ ex dolore peccatorum, ob timorem gehennæ ortæ ſunt, in ſinceri amoris ardorem conuertantur. ignem venit Dominus mittere in terram, quem vult vehementer accendi. Qui in charitate ſolidè radicatus eſt: illo igne flagrat, quem aquæ multæ non extinguunt, flumina non obruunt: & & ſi ſœuiſſimus perſecutionis ventus in eum irruat, non concutit, ſed magis accendit. Is cui arcis cuſtodia commiſſa eſt, non tunc de neceſſarijs ſibi ad tutelam proſpicit: cum hoſtis in procinctu eſt, vt arcem expugnet; ſed poſſibilia mala prævidens, tempeſtiuè ad ea ſuſtinenda ſe præparat. Non vulgari virtute opus eſt, vt aduerſarij laqueos cuilibet vitæ ætati poſitos, quis prudenter declinet. Cur ergo ſolum in vltimis vitæ ſuæ diebus, homo illa media adhibet, quæ

virtuti incrementum afferant: & non potius ita vitam ſuam inſtituit: vt ſi mori oportet, vitam non optet: ſi viuere, mortem non timeat.

EXEMPLAR
VIRTVTVM.

PErfectio effectus in imitatione ſuæ cauſæ ſita eſt: quod (cum in honore eſſet) homo non intellexit, ſed ſimilis iumentis inſipientibus factus: tandem in ſe reuerſus ingemuit, ſe male vſum libertate, proiiciendo ani- ſuæ decorem; quem recuperare non erat in ſua poteſtate. Et quidem terrenus homo qui peccauit: malo ſuo remedium inuenit: nos qui in ipſo peccauimus, cum remedio, exemplum. Deus humanam naturam aſſumpſit, vt (cum quod non videbat homo imitari non poſſet) ſanatus remedio, inſtrueretur exemplo. Non tantum laborat pictor, vt picturam iconicam conficiat: quam velit Deus, vt ſimilem filio ſuo, electi, formam induant, diſcipulus à magiſtro exemplar accipit, ad quod appropinquare ſtudet, cum coæquare ad illud ſuum opus non ſperet. Dum ad ſequenda Chriſti veſtigia, Deus hominem voca; non ſtupenda quædam ac propria diuini-

diuinitati eius opera ab eo exigit; ſed vt reus ſaltem cum patientia ſufferat, quod cum gaudio, innocens paſſus eſt: & quæ ſine vlla neceſſitate ſeu vtilitate Deus pro homine operatus eſt ea magno proemio allectus, homo aggredi pro Deo non recuſet. Si nulla operibus hominum, merces ſtatuta eſſet: adhuc deceret hominem ſecundùm rationem actiones ſuas dirigere; maximè verò rationi conſentaneum eſt: vt quod iuſtè ab omnibus tolerandum eſt, & quod inuiti patiuntur iniqui, hoc ad virtutis materiam, homo Dei referat. Vnuſquiſque vitæ ſuæ pictor eſt; colores virtutes ſunt, exemplar Chriſtus. Ille in via virtutis magis proficit, qui ad exemplum Chriſti propius accedit. Non mirum quod parum accedimus, ſi eorum quæ faciendo docuit ac diligendo pertulit, ſubito tranſuolans cognitio, ſimilitudinem effingere nequeat, quam memoria quis teneat moribus exprimat. Qui verò attentius perpendit, quid pro mundi ſalute Chriſtus fecerit, quæ mala perpeſſus ſit: fateri cogitur, nemini mortalium obtigiſſe vitæ genus durius, nemini martyrium acerbius? quis vnquam antequam naſceretur mœrorem grauem ſuſtinuit? quis optauit citò naſci

vt citò moriendo alij viuerent? obſtupeſce ſuper plorantem in ſtabulo inter beſtias, qui de cœlo tonat inter Angelorum Choros. Frigoris rigor recens nato fletum excitauit: amoris ardor octauo die ſanguinem. tam pauperem ſibi cœli & terræ Dominus matrem elegit: vt pro domo ſtabulum pro lecto præſepe, pro ſupellectile, panniculos paucos, ei parare cogeretur. Fortè ex muneribus filio ſuo à Magis oblatis, par turturum aut duos pullos columbarum comparauit: vt legis per Moyſen à Deo datæ rationem haberet: agnum emere non valuit, quod legi charitatis, pauperibus ſuperflua erogando, paruiſſet. Non ſubiecta Purificationis mandato, humilima Mater, cum filio coram Sacerdote ſe ſiſtit non dedignata peccatrix apparere, quæ tam longè [à] peccato aberat: qua humilitate ſuperbia noſtra retunditur, qui (etſi peccandi conſuetudinem non fugimus virtutis honorem affectamus. Quid in via, cum feſtinatione in Egyptum fugiens ſanctiſſima ſocietas, in tanta rei familiaris anguſtia pertulerit: dicant; qui diu præmeditata ac longinqua itinera, magno ſumptu confecerunt, nec putes terminum itineris fuiſſe ei finem laboris. Quam enim humani-

humanitatem gens barbara præſtaret extraneis, quæ ſæuiebat in ſuos? nec mirum quod alieni dominum ſuum non honorarent, qui à ſuis quæſitus ad mortem, eam fugiendo diſtulit, non euaſit. Ex vitæ ſuæ periodo annos tres prædicationi Euangelij atque infirmorum curæ Dominus deſtinauit, triginta ſilentio: quod paullum interruptum ad noſtram inſtructionem fuit dum ætatis ſuæ anno duodecimo, antequam alios doceret, ipſe audiendo atq; interrogando, veluti diſcipulus: humilitatem docuit, ſuperioribus, ac ſapientibus honorem detulit, parentibus ſubditus eſſe voluit: vt præcipua quæ proximis ſuis debent homines, officia perſoluere ſuo exemplo doceret. Expleto ſilentij humilis tẽpore, dominus à ſeruo inter publicanos & peccatores, veluti vnus ex illis Baptiſmum poſtulat ac ductus in deſertum à Spiritu quadraginta dierum ac noctium ieiunio, ad prædicationem Euangelij ſe accingit. quis doctrinæ eius profunditatem virtutum exempla labores itinerum, beneficiorum multitudinem dignè enarret (nulla Chriſti actio ſine doloris amaritudine fuit, nulla paſſio cum conſolatione. Gauiſus eſt ob multitudinem credentium, dum hominum millia paucis piſcibus & pani-
bus

bus hordeaceis paſcit: ſed doluit ob panis multiplicationem, tantum hominum numerum ſe ſequentium. Honorificum videbatur, quod in regem eum coronare ſtatuerant; ſed quid erat, vniuerſi mundi domino, aſſignare terræ angulum? hoſpitio exceptus obloquentium ac temerè iudicantium voces atque animum ſuſtinuit: quod cum peccatoribus manducaret, quod mulierem peccatricem admitteret, quod fruſtra vnguentum effundi pateretur. Magno populi applauſu (qui ex varijs mundi partibus ad paſchatis ſolemnitatem venerat) Ieroſolymā ingreſſus eſt; ſed vide mentis humanę inſtabilitatem, vide honoris mundani inconſtantiam & vanitatem. Illum quem regem Iſraelis vnanimiter populus innumerabilis ſalutauit, poſt dies ſex, reum mortis proclamauit, ac ſeditioſo latroni poſtpoſuit. Quis vmquam crediidiſſet: tanto honore exceptum Ieroſolymis, in Bethania (quod caſtellum fermè duobus milliaribus diſtat ab vrbe) dominum adhuc ieiunum cœnaturum? à profundiſſimæ humilitatis opere pedum lotionis, non dignitas ſuæ perſonæ ſibi cognitæ, neque proditionis diſcipuli, enormitas eum retraxit: ſed lachrymas ſuas quibus magis quam catini

aqua

aqua lauabat ſacrilegi pedes) doluit inſatiabilis auaritiæ ſordes non abſtergere. Ex abundantia amoris, corpus ſuum diſcipulis in cibum dedit, ſanguinem ſuum in potum; ſed temerarium illum, corpus illud ſumere ingemuit quod ſtatuerat Iudæis villiſſimo pretio vendere. Attende modo & vide ſi fuit vmquam dolor ſimilis illi, quem dominus tuus voluntariè oblatus pro te pertulit. Vterque ſexus conſpirat ad cruciatum innocentis. Ancillæ Petrum accuſantes, timidum effecerunt: itaut magiſtrum ſuum negaret viri gentiles & Iudæi contra Dominum armantur, principes & populares, ſapientes ac rudes, amici atque inimici ambo ei contrarij ſunt: hi quia perſequuntur, illi quia non ſequuntur. Paſſus eſt Dominus in fama per blaſphemias, in honore per irriſiones & contumelias, in facultate quia proprijs veſtibus denudatus eſt: Anima eius per triſtiam tædium ac timorem afflicta fuit: corpus per vulnera & flagella. Nec defuit ſingulis membris dolor ſuus; nam dentes in domo Annæ, à ſeruo armata manu inflicta ei alapa, dolorem ſenſerunt. Venerandum caput, ſpinarum pungentium corona perforatum eſt, manus & pedes clauis confixi, facies

alapis

alapis & ſputis de formata. Corporis ſenſus ſua paſſione non caruerunt: nam felle & aceto potatus ingratum ſaporem ſuſtinuit; in loco fœtido Crucis patibulo appenſus, odoris grauitatem voces blaſphemantium atque irridentium audiens, ac dilectiſſimæ Matris diſcipulique mœſtiſſimos vultus aſpiciens. ſiue viuentem Dominum noſtrum contemplemur, ſiue morientem vbique vitiorum noſtrorum præcipuis radicibus, virtutes ſuas à nobis imitandas oppoſuit; egeſtatem, dolorem ignominiam paſſus eſt: vt immodicam rerum terrenarum cupiditatem, illicita carnis deſideria, atque inordinatum propriæ excellentiæ appetitum; paupertatis ſuæ, vitæ auſteritatis atque humilitatis exemplo extinguere diſceremus. Dum pro æterni Patris ſui honore atque animarum ſalute, per caſtella circumeundo, infirmos curat, oppreſſos liberat, atque in oratione Dei pernoctat: totius philoſophiæ ſummam complectitur: vt poſt Dei honorem, nihil magis cordi nobis eſſe debere doceat, quam vt nos ipſos oderimus ac proximum diligamus. Qui perarduum iudicauerit ſecundum exemplar hoc perfectiſſimum (quod in monte caluariæ omni nationi monſtratum eſt) vitæ ſuæ for-

mam delineare: meminerit, non aliam reperiri ſalutis æternæ viam. Ex vtriuſque ſexus atque omnis ferè ætatis, & conditionis hominibus ij propinquius ad Deum acceſſerunt, qui minus peccauerunt: cur qui peccatis obnoxij ſunt, ad Deum ſuum non reuertantur atque in Chriſti ſui imaginem transformari de claritate in claritatem; ſumma ope non nitantur? Grauiſſima ſollicitudo hominis Dei animum diſcruciat: quod certus de tremendo Dei iudicio. Æternæ beatitudinis incertitudinem, gemere cogatur: cui Propheta lætitiam affert, beatum pronuncians qui ſuper egenum & pauperem intelligit, atque in die mala liberandum. Ille ſuper egenum intelligit qui Chriſto patienti compatitur, docentem audit, facientem imitatur.

TEMPVS
VIRTVTIS.

Æterna requies, æterno labore rectè emitur; ſed quia ſi æternus eſſet labor, numquam ad æternam quietem perueniremus. Miſericorditer nos Deus hac temporali vita donauit vt ad æternam totis viribus contendamus. Homo Dei veluti arbor plantata ſecus decurſus aquarum, fructum

fructum ſuum tempore ſuo profert. Pretioſas merces in altum mare vehit puer qui iam ad rationis vsũ peruenit: quas ſi ad portum perduxerit tutus à tempeſtate, ſcopulis, latronibus naufragio: magnum vigilantiæ eius proemium paratum eſt. Sicuti puero periculum imminet: vt à ſenſibili bono allectus, ad primum rationis lumen innocentiam deſerat: ita decrepito ſeni dum delirare incipit antequam anteactæ vitæ noxas per pœnitentiam expiaret, vt ad lucida interualla, non reſipiſcat. Prima hominis ætas contra imprudentiam atque animi imbecillitatem dimicat, adoleſcentia contra libidinem; reliqua vero ætas contra habendi cupiditatem. Mœroris tempus eſt, cum Deus à nobis vel ab alijs offenditur: gaudendum cum Angelis, ſi impius ad Deum ſuum redeat, ſi homo Dei in charitate proficiat. à formato ex limo terræ homine, Angelorum famulatum Deus non requirit; cibo, potuque nutriri eum vult, quietem capere atque animum ſuum à curis granioribus diſtractum recolligere. Quod in eo brutale eſt voluit rationi ſubiici; quod rationale, ab Angelo dirigi. Iacturam temporis facit, qui in eo occupatur, quod in Dei honorem vergere nequit. Numquam in

Dei

Dei laude ceſſandum eſt, ſiue proſpere tibi cuncta eueniant, ſiue in maxima calamitate iaceas. Deus enim pater & Dominus eſt, non ſolum blandiens, ſed & flagellans: & quando nos aliquibus neceſſitatibus erudit, vult vt amplius illum diligamus, ne forte per ſaginam corrumpamur. Morbo correptus ne recuſes dolorem, vt Deo obedias: opta ſalutem, vt ei melius inſeruias, ſed paratus mori, vt viſione eius fruaris. Calumniam paſſus es; da veritati modeſtam tui defenſionem: da manſuetudini, vt malum pro malo non reddas: da charitati vt maledico benefacias. Pluſquam ſemel naufragium feciſti? obſtupeſce quod tempeſtas te non demerſit, vti innumeros alios, qui idem mare nauigarunt. Cum non euaſeris in fortitudine brachij tui & liberatus fueris: flecte genua ad Dominum tuum quod tui ſolius miſertus eſt, qui potat omnes liberare. in ſenectute hoc accidit, quando mors in propinquo eſt, cum viuere diu nequeas? diſce ſaltem bene mori, qui neglexiſti bene viuere, Lapſus es, quando in ætate corroborata, proſpera valetudine vteris? ingredere certam virtutis viam; vix enim bene moritur, qui male vixerit: maceratum ægritudine corpus ieiunio

non

non affligimus: & qui rei familiaris inopia premitur, à magnificis ſumptibus abſtinere cogitur. Omni tempore congruentem humilitatem, caſtitatem, manſuetudinem, temperantiam homo Dei amplectitur. Nemo in conſpectum principis venit niſi exteriori corporis habitu modeſtiam præ ſe ferat. qui aſſidue, domino ſuo adſtant, ſeruos ſe eſſe meminerunt. Latentem intus animæ bonitatem, quidam vellent principem non latere; vt non inueniret inuidus calumniæ locum. Alij abſconditam lætantur, ab oculis eius vitiorum enormitatem: vt dum pronus ad pietatem, probat quod forinſecus apparet, tardus verò ad credendum, ea quæ contra proximi famam diſſeminantur, inimicitiam æmuli declinent vel errata corrigant. Quia Deum vbique præſentem, corda omnium ac renes ſcrutari, & ſuper opera ſua, numquam non vigilare, homo Dei aſſiduè meditatur, hinc tanta in eo relucet morum grauitas: vt facile homines cognoſcant, eum ſupremæ Maieſtatis præſentiam vbique venerari. Cum neceſſaria corporis cura ſubſidium petit: cauendum valde eſt, ne voluptuaria cupiditatis fallacia, negotium ſalutis obumbret; nam quod ſaluti ſatis eſt, delectationi

non parum

arum eſt. Inſpice diligenter totius
itæ tuæ periodum, ac deteſtare quod
uã te tranſire coegit neceſſitas, præi-
it periculoſa iucunditas. Cum enim
bo, potu, ſomno, veſte, domo, ac
do, cuiuſuis conditionis homines
idigeant: quandoquidem longe
aucioribus contenti alij cum merito
: laude, naturæ neceſſitati, ac gra-
is honeſtati ſatisfecerint; conuinceris
im magno ſpiritualis profectus diſ-
endio, pretioſum vitæ tempus, ac
tum tuarum prodegiſſe ſubſtantiam:
oprium exercendæ virtutis tempus
: cum præceptum Dei obligat, Ec-
eſia præcipit, ſuperior iubet, officium
igit, neceſſitas clamat, charitas vrget
ntatio moleſtat, inſpiratio mouet.

NIMICI VIRTVTIS.

D Æmon propter ſuperbiam, diui-
næ poteſtatis ſimilitudinem vſur-
t, & propter inuidiam, hoſtis ho-
num perpetuus ac fœderis neſcius;
rum ſalutem atque in virtute profe-
i impedire nititur, veluti leo rugiens
deuorandum circuit, quærens quem
uoret: neque præuaricari eum ſo-
n vult, ſed varij generis ſceleribus
ntaminari. ſeipſo ac feris turpiorem
ere ſtudet: cum vno duntaxat vitio

feræ

feræ teneantur, ille nec pecunias concupiſcat nec tyrannidi ventris obſequatur: peccator verò omnia in ſe colligendo vitia longe ferarum irrationale, ſtultumque traſngreditur. In eo quod homo naturaliter deſiderat, delectationis iinmoderantiam plantat atque in eo quod abhorret, vani timoris anguſtias. primis parentibus, in ſciendi materia laquos poſuit, & mirum eſt, poſtquam deceptos illos nouimus, nimia ſciendi curioſitate, nos quotidie decipi. Non promittit amplius ſublimem illam, ſimilem diuinitati ſcientiam: ſed rerum humanarum (quæ ſidera præſagire, nonnulli credunt, vel ſub terra latentium theſaurorum, de quibus homines non quærunt an ſint, ſed quo loco reconditi vt iuueniri ac ditare auidum pecuniæ foſſorem queant. Non dicit hominem non moriturum, ſed non tam cito moriturum: vt de vitæ longitudine peccator fiduciam concipiat, & confuſionem pœnitentiæ perhorreſcat. Perinde illi eſt, ſi in dexteram vel in ſiniſtram homo declinet, modò à ſalutis tramite aberret. Hoc eſt ſi de venia peccatorum deſperet, ſeu de miſericordia diuina præſumat. Nounullorum homtnum Dei miſerrimum vitæ ſtatum obiicit, vt fruſtra eum timere

Deum perſuadeat, audet omnia mundi regna offerre cadenti, qui immenſa cæli ſpatia per lapſum amiſit, neque tamen ius vllum in terram obtinuit. Nouit ſe fallere non poſſe iudicem falſa homini imponendo crimina, ideo ad vera perpetranda eum inducit; atque adeo perturbat hominis animum: vt ſi contra mandatum non delinquat, contra conſcientiam operetur. Non magis procurat, vt peccare hominem non pudeat: quam vt poſt lapſum confiteri erubeſcat. Inſtigat, vt curioſe Dei arcana homo inueſtiget: vt à gloria maieſtatis oppreſſus intereat. numquam ad bonum prouocat, niſi vt magis noceat. Veluti callidus auceps laqueos ſuos abſcondit: dum pleriſq; perſuadet grauiſſimam tentationem, eſſe optime fundatam rationem. Quem mordere, vt canis nequit, vexat vt muſca: & ſi ad grauia delicta perpetranda difficilem inuenit, ad leuia inſtigat, per quæ neglecta paulatim homo decidit. Qui non tam improbi ſunt, vt ad diuini nominis blaſphemiam inducantur: hos in ſeipſos concitat, vt carni ſuę plus æquo indulgeant, voluptatibus ſe dedant: vel impios in parentes facit ſeu crudeles iniurioſque in proximos. Quos verò timidos reperit vt vitæ hominum inſidiari non audeant

deant, vel minus crudeles, vt ſanguinem proximi non ſitiant: his ad facultates furto auferendas vtitur & linguam eorum ad detrahendum famæ proximorum acuit. Ille ſolus fratrum conſenſus illi acceptus eſt, qui de quorumlibet ſcelerum executione deliberat, vel de perpetratis gaudet. Inter eos, qui in Chriſti nomine cōgregātur *Zizania* ſpargit per frigida proprietatis verba commune ſocietatis bonum diſſoluens, ſeu ſubtiliſſimis honoris deferendi obſeruationibus animos diuidens. Indiſcreto pudicitiæ zelo fidem coniugalem oppugnat, ac parentes, ad filios ſuos nimia ſeueritate contriſtandos incitat. Quod magis dolendum eſt, ferme vbique victor multitudinem hominum ſibi ſubiicit: cum qui proximum ſuum iniuſte aggreditur vel bona ſua diripit iuſtè ad eū pertineat & qui iniuſtè patitur, rarò in aduerſis patientiā ſeruet, iram refrenet, atque intra iuſtę defenſionis limites ſeſe cōtineat: vt innumeros prętereamus, qui ſua ſpōte ad interitū ruunt. Non ſolū dęmonis artificia hominem Dei exagitant, ſed & mundi perſecutio ac prauitatis exēpla, peſſima falſorum amicorum cōſilia, & carnis illecebræ. per tyrannos perſecutores, dæmon ſuam crudelitatem veluti leo rugiens exercuit, per hære-

ſiarcha

ſiarchas, tamquam ſerpens ſibilans Chriſti frumẽto Zizania ſuperſeminauit. reddita modo eſt ex maxima parte Dei Eccleſiæ pax & magnifice Religio Catholica propagata eſt, adeo vt nobiliſſima mũdi pars, ac potentiſſimi principes eius nihil aliud in Fidei doctrina ſentiãt quã quod San. Rom. profitetur ac docet Eccleſia. cum nihilominus etiã inter fideles tam rarum hominem Dei reperiamus: oportet præter crudelitatis atque infidelitatis ſuggeſtionem, non deeſſe dæmoni alias homini nocendi vias. Si dominus ſeruo iubeat, vt percutiat, feriat, occidat: nonne melius illi erat, Chriſtianis præceptis inſtructum Galieno Cæſari inſeruire? pone dominam à ſeruo obſequium petere, quod ſolum decet maritum præſtare; nunquid tolerabilius illi erat in ſilua leænam offendere? quis crederet grauiores hos martyribus, tentationes ſuſtinere? & quidem Martyres palam ſæuientium perſecutorum rabiem vel declinare, vel pro Chriſto, fundendo ſanguinem ſatiare poterant: hi fictè blandientium fiduciam, nec morte ſuperare neque fuga euadere valent, cum neuter ijs malum moliatur, quando mallent Deo dilecto emori quam offenſo viuere: ſed ſæpe nil tale cogitantibus inſidias ambo parent, ne iudici innoteſcat proditoriæ necis imperium

ac violatæ fidei flagitium. Poſtquam à mundi principio, ſerpens primos homines non morituros, contra Dei minas auſus eſt pronuntiare;temerariæ contradictionis virus tam late diffuſum eſt: vt inter eos qui Chriſti fidem profitentur,nonnulli tentent virtutis gloriā infringere.Non capiunt hi ſub paupertate beatitudinē abſcondi,ſub manſuetudine generoſitatem, ſub humilitate honorē ſed beatos vocant diuites, ſtolidos qui iniuriam diſſimulant, timidos qui non vindicant, viles qui ad honores non aſpirant: & hi quidem facile dignoſcuntur, quod à virtutis via aberrent; ſubtilius alij (quos per oculos, manus ac pedes, dominus ſignificari voluit, vt coiunctos nobis ſanguine vel amicitiæ vinculo, intelligeremus) homini Dei decipulam ponunt: dum ſanitati eius ac vitæ (cuius dominus nemo eſt) contrariam deuotionis regulam afferunt: non congruere ciuitatibus Anachoritarum ſeueritatem, neq; hominibus mortali corpore grauatis,Angelorum puritatem:eſſe in domo Dei manſiones multas,non omnes Martyres;non omnes Virgines: talenta à Deo data in publicam vtilitatem poſſe in lucem prodire,cum qui præeſt in Eccleſia plurimis verbo prodeſſe valeat,ac pauperibus, Eccleſiæ facultatibus, ſubuenire. Non tam periculoſum

eſt

eſt horum conſilium, dum ſolis ſupererogationis operibus obicem ponunt: ſed tunc maximè mendax illorum amicitia eſt, quando timoris diuini vinculo non ligata, ad grauiter peccandū amicum irritat, vel peccantem laudat, quo à crudeliſſimo hoſte nemo prudens, quicquam deterius ſibi metuit. Pharao in Ægypto maſculos interficiens & fœminas ſeruans, aduerſarium noſtrum deſignat qui virtutem in homine præfocat, concupiſcentiam nutrit. nimirum cum mens hominis ſubiecta Deo, turpiter à domino ſuo defecit, homo carnem ſuam non ſolum ſibi rebellem, ſed veluti dominam ſuſtinere meruit. Protoplaſtus ex fructu ligni à muliere ſibi oblati, ſi guſtaret, Dei ſimilitudinem naſcituram credidit, vel mulieri blandiens, edendo ſe credere demonſtrauit. Plerique ira excandeſcunt, quando factum parentis conſiderant, cum tamen quotidie in ſeipſis experiantur & lugeant à carnis concupiſcentia rationem ad ima detrahi, atq; in viliſſima voluptate ſibi quandā diuinitatem fingere. nemo à virtutis via abducitur niſi neceſſarium aliquid ſibi apprehendat, delectabile quoddam appetat ſiue malum timeat: cur ob maiorem amoris ac timoris cauſam ad virtutem non reducitur? quicquid tibi iniquo promiſerit mundus; numquid

poreſt dare quantum dabit iuſto Deus? quidquid tibi iuſto minatus fuerit mũdus nũquid poteſt facere, quod facit iniquo Deus? Et ſi videris ab alio quicquã accipere, ille tibi iratus dat quod negaret propitius, ſi ab eo peteres. Vide quam ſit tibi neceſſarius: quam verò ſuauis ac delectabilis, fatere, ſi guſtaſti vel crede ijs qui pro ſpirituali gaudio, omnia bona terræ contempſerunt: quam terribilis: viuens in infernum deſcende, vt mentis oculis videas, ne victus ab inimicis tuis, moriens, in vtroque homine pereas.

TRANQVILLITAS HOMINIS DEI.

DIcite iuſto quoniam benè, fœlix per Iſaiam Prophetam ad hominem Dei nuntius eſt. Impio benè eſſe non poteſt: nam quicquid preterDeum quærit, non inuentum eum cruciat, inuentum non ſatiat. Inuaſorem alieni, dominus impedit, qui etiam ab iniuſto poſſeſſore meritò ſuum repetit. De ijs quæ inter plures, vni contingere ſolent, competitor cum eo contendit: & ſi fortè neminem ſibi aduerſantem habeat, in ſeipſo contradictionem patitur, dubius qua parte venenum effundat, cum ſæpè carnis delicias appetitus honoris impediat, honorem, auri cupido. Non propterea fœlicem dixeris, quem re-

rum

rum omnium vbertate florere videris: nam ſub aquis etiam gigantes gemere Deus voluit, cum proſperitati illorum amaritudinem quandam immiſit, vt confiteantur omnes fœlicitatem cordis humani à ſolo Dei beneplacito pendere, & non ſolum miſeros eſſe, qui (quod contra legem Dei concupiſcunt) non impetrant, ſed & eos, qui optati boni compotes effecti, ex ſuperueniente quadam aduerſitate, nouũ mœrorem hauriunt. Ipſamet peccati turpitudo tam abominabilis eſt; vt ex antiquis Philoſophis, quidam ſe non peccaturum aſſeueraret, etſi certus foret de Deorum clementia, ac de hominum ignorantia, forſan quis hominibus imponat: maximè ſi complex criminis non adſit, qui præmijs allectus, occultum reuelet: nunquid propriç conſcientiæ remorſum effugiet, quç vetitis mundi gaudijs varias amaritudines admiſcet: vt ſunt certæ mortis incerta dies, iudicij Dei ſeueritas, pçnarum peccati acerbitas, infauſta dæmonum ſocietas omnium malorum aggregatione cumulata æternitas. Homo Dei totius mundi lucrum, detrimentum exiſtimat ſi cum iactura animæ coniungitur; & cum præſentis vitæ ſtatus, præter Deũ requirit creaturæ adminiculum; poſtquam naturç neceſſitati ſatisfactum eſt voluptatem coercet; vt à corporis gra-

uamine liber incômutabili bono gaudeat. Non rapit alienum,qui proprium elargiri conſueuit; nec eſt qui cum eo de primo accubitu diſputat,cum libenter nouiſſimum locum eligat,ſciens patum nouiſſimo primum.Quando ſic per Chriſtum mundo crucifixus eſt, vt rebus viſibilibus mortuus ſoli Deo viuat in quo amorem ſuum collocauit; tametſi adhuc timeat,tranquillitatem animi non amittit, ſed prudenter declinat falſæ ſecuritatis præſumptionem, per ſancti timoris fiduciam.non timet filius cum ſeruis flagellari,ſed à patre ſuo ſeparari, timor iſte reuerentiam auget, ne indignum ſe patris amore exhibeat, à quo hereditatem expectat.Qui à dæmone ad rerum temporalium dilectionem non trahitur:etſi morſum eius non timeat latratu tamen obtunditur: nam cum nemini quicquam debeat, & cum his qui oderunt pacem, pacificus eſſe ſtudeat, non effugiet querulas impiorum murmurationes,qui exactè mores eius obſeruent, vt ſimilem eum cæteris declarent, vel parum ab ijs deſſidere. Homo Dei exemplum Patriarchæ ſecutus (qui ex vnica arcæ feneſtra, ſurſum reſpiciens: indè ſalutem expectabat vnde ad delendos peccatores pluuia deſcenderat) in Deo ſuo confidit, quo adiutore ſubleuetur eius infirmitas, quo protectore, non ei noceat

ceat inimicorum iniquitas. Fremat leo draco venenum ſuum euomat, oppugnent iniqui, concupiſcat caro, ficti blandiantur amici, non timebit homo Dei caſtra inimicorum: & ſi exurgat aduerſus eum prælium, in Deo ſuo ſperabit: nouit enim hæc omnia eſſe veluti partus dolores, quibus æternitati naſcitur qui vitam in patientia trãſegit, mortem cum deſiderio expectauit. Cum Alexander Diogenem Cynicum, tam paucis contentum fuiſſe admiratus, ad ſuos conuerſus dixit ſe Diogenem eſſe velle, ſi Alexander non eſſet. Inter Chriſtifideles reperti magnates ſunt, qui Philoſophiæ laudem non ſolum ore decantauerunt, ſed & opere confirmarunt, adſcripti pauperum congregationi, vt facilius in innocentiæ puritate, ſtabilirent conſcientiæ tranquillitatem. Sero vitæ hominis Dei quietem principes iam animam agentes ſummo imperio, præferunt, quibus aliter vixiſſe impoſſibile tunc eſt, ſic mori raro contingit, cùm poſt præſtitam Deo, in vita obedientiam, ſalutem ſuam moriens, in diuina miſericordia, homo Dei reponat.

PRÆMIVM VIRTVTIS.

TAntam ex rectè factis iucunditatem pleriq; philoſophorum per-

ceperunt. vt virtutem ſibipſi mercedem ampliſſimā eſſe affirmarent. Quid dicturi erant, ſi virtutum (quas ob Chriſti Saluatoris merita, Spiritus ſanctus mentibus hominum infundit) dulcedinem deguſtaſſent. Alij inopiam ſuam faſſi ſunt, dolentes ſe debitum virtuti præmium non poſſe perſoluere: ſed ſicuti in iudicio accidit, vt partem debiti ſoluere cogatur, qui ad ſūmam pertingere nequit: ſic illi inter exteriora hominis bona præcipuum honoris virtutis ſectatoribus detulerunt. ſi homo vulgaris contra reipublicæ hoſtes, cum principe eadem belli pericula ſubeat, pari labori ac fortitudini, impar tamen honor decernitur: cum perſonæ primariæ dignitas, non vulgare præmium exigat. Homo Dei à rege ſuo in filium adoptatus eſt; ampliora ergo, cum philoſophis gentilibus currenti in virtutis ſtadio, reſeruantur præmia. & quidem virtus Chriſtiana non ſolum apud fideles in honore eſt; etſi improbi fuerint: ſed ipſis incredulis magnam admirationem mouet. cum tamen frequenter contingat innumeris hominibus, abundè ad victum neceſſaria ſuppetere, qui vitam & quidem diuturnam, omni vitiorum labe coinquinatam traducunt, ac non ſemper ijs qui virtute excellunt, ad honoris gradus viam patere; fluctuare animo

animo plerique videntur, cum acerbiſſimè ferant rei familiaris inopiam, atq; abiectæ conditionis ſuæ neglectum. Sed cur non recogitant, modo non Paleſtinam homini Dei offerri, neque terram fluentem lac & mel: ſed ipſum cœlum: non vitam longam, ſed vitam ſinè fine? & quando tanta bonorum copia proponitur: quomodo dolere audeant, ſi in pręſenti vita iucundis nullis perfruantur, aut prorſus dulce aliquid exiſtiment, qui præmia futura nouerunt; virtutis decor in interiori homine potiſſimum ſitus eſt, qui ab oculis hominum abſconditur; exteriora vero bonæ mentis ſigna, ſæpe principem fefellerunt. Quid mirum, quod non ſemper ad honoris gradus aſſumitur, qui vitæ innocentiam, præclarè in moribus exprimit? dignitati vt plurimum onus adiunctum eſt, quod nemo dignè feret, niſi virtute præditus, multarum rerum ſcientia atq; experientia excellat. Pone ex hominum Dei Congregatione, digniſſimum ad primam dignitatem aſſumi, qui charitate ardeat ſi rerum ignarus eſt, cum in culpam prolabi poſſit, duplicem bono publico ruinam minatur, vbi, ſi quis in rebus agendis exercitatus deliquerit: pœnitentiæ lachrymis, ambo quidem culpam expiare, exiguo tempore poſſunt ignorantiam vero, ætate prouectus,

numquam

numquam depellet. Si honoris ac diuitiarum immodicæ cupiditati, tot virorum inſignium (qui ſub cinere humilitatis eximiam charitatem, ac profundiſſimam ſapientiam tegunt) paupertatem atque abiectionem oppoſueris: cum non egrè fatearis eos, durius tractatos virtute ac ſcientia tibi antecellere, concludes tandem, non iniuſtè ac fruſtra hominem Dei depreſſum iacere: ſed temerè, erectum ſtare, qui prouidentiæ diuinæ diſpoſitionem, curioſè inquirit, & cum moleſtia ſuſtinet. Pete ab ijs qui ſe dicunt omnibus infortunijs vexari, num liberari cupiāt? affirmabunt, ſperantes terrenam proſperitatem, ſed tacite eligentes maiorem calamitatem. in hac vita, ſine peccatis anima, ſine curis mens, ſine labore corpus eſſe nequit, & tamen inter has curas & ſpinas, eſt qui tam cōmodè ſedeat: vt menſes & annos in eis obdormiat. Quam ſtultum eſt, ibi animum figere, vnde mox receſſuri ſumus vti ſi viator tendens ad patriam amet pro domo ſua ſtabulum, & putet benè ſibi eſſe, cum peregrinatur. Multa Deus homini dedit, plura promiſit; vt diligeret Deū ob illa quæ accepit, & creſceret in amore ob illa immenſa, quæ ſperat in futurū. Hęc viſibilia bona, quę ſępe impijs, donat Deus, gradū faciunt ad inuiſibilia, quæ ſeruat amicis. ſi enim

tanta

tanta ſolatia ſunt, in hac die lachrymarum quanta erunt, in die nuptiarum? & ſi Petrus qui vnam ſtillam dulcedinis guſtauit, omnem aliam dulcedinem faſtidiuit: quid putas dixiſſet, ſi magnam illam multitudinem dulcedinis guſtaſſet, quam ſe timentibus, Deus abſcondit? gemit homo Dei, quia in valle lachrymarum exulat, quia prolongatur incolatus & non ſine periculo, viuit: cum qui Deo placuerunt, & ſtabiles permanſuri videbantur, tempore tentationis receſſerint. Vexatur ab ipſa corporis mortalitate ac ſeruitute, quæ à contemplatione veritatis eum auertit, vel plurimum diſtrahit: vnde quotidie clamat, vt regnum Dei adueniat. Sed quid eſt, quod optat, vt veniat, & timet ne veniat: niſi quia iudicem formidat, Saluatorem deſiderat? caueat minantem, antequam deſideret promittentem: & corrigat ſe, vt non optet contra ſe. Relaxa Domine facinora plebi tuæ & noli tardare. Veni citò Domine IESV. *Amen.*

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAgina 1. linea 16. lege heredem pag.7. l. 15, l.Timotheum. pag.8 l 24. l.deleti. pag.9. l.15. l.diſſenſione l.30. l.poſtularunt. pag.10. l.11. l.flagellis. l.19. l.repertus. pag.11. l.2. l. ignorat. pag.13. l.10. l.non. pag.14. l.3. l.feretro. pag.15. l.14. l. indignum. l. 22. l. deprehendunt. pag. 16. l. 10. l. amaritudinem. pag.17 l.1. l.periclitans. l.24. ſcurrilitatem. pag.19. l. 6. l. frigido. l.7. l.viro. pag.20. l. 29. l.curioſæ. l.32. victæ. pag.21. l.1. l. fit. l. 18. l. garrulitatem. pag.22. l.25. l.puerilis. pag.24. l.8. l.ferunt. pag.27. l.18. l. ſuo. pag.30. l.11. l.morum, pag.38. l.26. l.fallere. p. 43. l.31. l.vitiorum, pag.45. l.24. l. beatitudinis. pag.49. l.20. l. prædixerant. pag.71. l.16. l.indicijs. pag.72. l.1. l. minus. pag.73. l. 28. l.laudant pag.121. l. vlt. l.qui in. pag. 128. l.16. l.quam. pag. 143. l.30, l.commodabit. pag.145. l.22. l.conſpectu. pag.148. l.8. l.iræ. pag.150 l.vlt. l.plerique. pag.151. l. 1. l.minus. pag.153. l.3. l.optimæ. l.16. l.intentam pag.157. l.11. l. maſſa. pag.177. l.5. l. profunditati. p.73. l.12. l.carceri.